# DE HISTORIAE DUCATUS ATHENIENSIS FONTIBUS.

## DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET UNA CUM THEMATIS

DIE XX. MENSIS MARTII A. MDCCCLII

PUBLICE DEFENDET

***CAROLUS HOPF***
GUESTPHALUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

GUILELMUS BLEEK, DR. PHIL.
HENRICUS STEIN, DR. PHIL.
HUGO ILBERG, SEM. PHIL. SOD.

BONNAE,
FORMIS F. P. LECHNERI.
MDCCCLII.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

# IOANNI GUILELMO LOEBELL,

# IOSEPHO ASCHBACH,

PRAECEPTORIBUS CARISSIMIS DILECTISSIMIS

GRATO PIOQUE ANIMO

SCRIPTOR.

Postquam iam ante hos quinque annos mihi proposui, qualis medio aevo Graeciae status fuerit, explorare atque exponere, nunc primitias studiorum meorum Vobis, praeceptoribus carissimis, offero, sperans, fore, ut eas, qua estis erga me humanitate et benevolentia, accipere velitis. Atque ad Athenas quidem primum animum appuli et ob rerum obscuritatem et ob urbis antiquum splendorem; multo vero ampliores magisque aucti forent hi fontes, si iis documentis, quae in bibliothecis Barcinonensi, Veneta, Vindobonensi inedita latent, utendi mihi fuisset facultas. Quod quum mihi non licuerit, iis fontibus, ad quos aditus mihi patebat, contentum me esse oportuit; itaque reliquum est, ut iis viris doctissimis, qui summa liberalitate studia mea adiuverunt, professoribus carissimis, L. Trossio, gymnasii Hammonensis collegae, et bibliothecarum Bonnensis, Coloniensis, Darmstadtiensis, Francofurtensis, Guelpherbytanae antistitibus gratias agam quam maximas.

*Anc Alixandre no fes cors,*
*Ni Carles, ni'l rei Lodoïcs*
*Tant onrat, ne'l pros N'Aimerics;*
*Ni Rotlan ab sos ponhedors*
*No saubren tan gen conquerer,*
*Tan ric emperi, per poder,*
*Com nos, do's poja nostra leis;*
*Qu'emperadors, e ducs, e reis*
*N'avem feits; e castel garnits*
*Prop dels Turcs e dels Arabits;*
*Et uberts los camis e'ls ports*
*De Brandis trosc'al Brats San Jorts.*

*Rambaud de Vaqueiras.*

Venetorum urbs, marium quondam regina nuncupata, quae, Romani imperii similis, e minima maxima evasit, ad summam gloriam ac potentiam ab Henrico Dandulo duce evecta est, postquam fracto atque everso paene Byzantii imperio leges imponere ausus est. Venetiae autem quum neque pacis artibus carerent neque rerum gestarum gloria ulli medii aevi imperio cederent, tantum potentiae Danduli virtute consecutae sunt, ut Genua, diu earum aemula atque inimica, vix cum iis contendere conaretur. Tum demum, quum Genuenses in rem maritimam magis incumberent, sedatisque paulisper certaminibus illis intestinis, quibus per tot saecula fatigabantur, cum apostolicae sedis inimicis cumque Christianae fidei hostibus societatem inissent, Venetorum potentia minuebatur; nihilominus ad exitium usque libertatis urbs gloriae splendore quodam, a maioribus hereditatis quasi iure tradito, insignis fuit. Quae, etsi a Francogallis domita, summorum poetarum carminibus celebrata, libertatis perditae superstes fuit, atque libentissime recordabantur et Veneti poetae et externi pristinae illius virtutis et gloriae. Qui reipublicae Venetae splendor praecipue derivandus est a quarta expeditione sacra, quam ineunte saeculo decimo tertio a nobilibus Francogallis, Italis, Germanis institutam scimus. Qui cruce signati quum Hierosolymorum regno succumbenti nihil adminiculi attulissent, quippe qui ne attigissent quidem terram sanctam, tamen expugnata Constantinopoli »novam Franciam« [1]), ut cum

1) „Ibique noviter quasi Nova Francia est creata.“ Honor. III. ep. ad reginam Francogalliae d. d. 1224. a. d. XIII. Kal. Iun. (ms.)

Honorio papa tertio loquar, in Graecia condiderunt. Neque vero diu superstes fuit imperium illud Franco-Byzantinum, sed post quinquaginta septem annos interiit, quum Graeci principes rursus urbe potiti essent Constantini. Diutius Francorum potestati subditae manebant illae regiones, quae proprie dicebantur Graecia, quaeque maximam partem a Turcis demum post urbem captam domitae sunt, quum singuli dynastae, discordantes inter se, hostibus introitum Graeciae aperuissent. Omnes autem principatus, quotquot post imperium a Graecis ad Francos translatum, in Europaea Byzantini imperii parte extiterunt, reipublicae Venetae spiritum debuerunt vitalem, et quamvis non universi illi Venetis fuerint subditi vel tributarii, tamen iis tantummodo nixi contra Graecos et Turcas se sustinere valuerunt. Inter civitates Graeciae autem, quae propriis isto medii aevi saeculo principibus parebant, maxime antiquo splendore micuerunt Athenae, et quum denuo effloruissent, et quum, tot tantaque fata perpessae, nunquam a Graecis dominis Francorum potestati ereptae fuerint. Cuius urbis status qualis post quartam expeditionem sacram ad Turcarum dominationem fuerit, diu iam mihi propositum erat exponere, tam ob priscum nomen et gloriam Athenarum, quam ob tenebras, quibus historia illius temporis, quasi poetico quodam nimbo, induta est. Neque tamen hac dissertatione historiam ducatus Atheniensis illius et trium dynastiarum ibi dominantium complecti volo, sed de eius fontibus mihi erit disputandum, praefato perpauca de urbis et splendore et ruina.

Athenarum nomen tam clarum fuit tota antiquitate, ut una urbs instar universae Graeciae haberetur; quae quum et artium et litterarum studiis una omnium Graecarum civitatium maxime floreret, omnes et poetae et rerum scriptores laudibus eam, tamquam universae Helladis ornamentum, efferre certabant. Eadem urbs, quae a Pinda-

ro [1]) „Λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀοίδιμοι, Ἑλλάδος ἔρεισμα, κλειναὶ Ἀθᾶναι“ dicitur et in urbium catalogo illo Ausoniano [2]), etsi ultimo fere loco, tamen summa cum laude praedicatur, medii aevi initio paene deleta erat. Recte sane ille [3]), qui Athenas magnarum rerum magna sepulcra appellavit; neque inepte ad Athenas refertur ista Fabri de Graeciae ruina lamentatio:

Terra potens armis, virtute potentior omni,
  Ingeniis dives, moribus, imperio,
Cui par nulla fuit, nec erit, nunc Graecia languet,
  Tam spoliata bonis, quam viduata viris.

Quodsi, qualis Athenarum ineunte recentiori aevo conditio fuerit, interrogamus, duo praecipue mihi opera ad manum fuerunt, praeter Martini Crusii illius Turcograeciam, conscripta a Nicolao Gerbelio et Thevetio. Quorum alter [4]), qui Sophiani descriptionem Graeciae praefatur, postquam de Athenis Ovidianum illud:

»Quid Pandioniae restant nisi nomen Athenae?«

recitavit, dolore correptus, exclamat:

»O rerum humanarum miserabiles vices, o tragicam humanae potentiae permutationem! Civitas olim muris, navalibus, aedificiis, armis, opibus, viris, prudentia atque sapientia florentissima, in oppidulum seu potius vicum redacta est. Olim libera et suis legibus vivens, nunc immanissimis beluis servitutis iugo obstricta. Proficiscere Athenas et pro magnificentissimis operibus videto rudera et lamentabiles ruinas!«

---

1) Pindar. fragm. dithyramb. 4.

2) Auson. ordo nobilium urbium epigr. 9.

3) Burmanni Antholog. latina. III, 2.

4) Nic. Gerbelii in descriptionem Graeciae Sophiani praefatio. (Basileae. 1545. fol.) p. 121.

Thevetius [1]) autem, qui medio saeculo decimo sexto Athenas adiit, urbem omnino vastatam dicit; multa quidem antiquitatis opera superesse et effodi, sed incolas urbis nil curare monumenta illa pretiosissima (»qui ont peu d'esgard et de reverence à telles mémorables antiquailles«).

Duo annorum milia urbs paene ignota erat, donec hoc nostro saeculo denuo nomen eius effloruit. Nemo autem fuit, qui, quomodo ceciderit et ad nihilum redacta fuerit, accuratius perquisiverit. Eadem, quae vel a Turca illo Seadeddino [2]) „patria philosophorum“ dicitur, omnino deserta et temporum ruina obruta erat exeunte saeculo decimo septimo, quo Sponius et Whelerus eam viderunt. At, qui post captam Corinthum nomen eius oblivione omnino correptum, neque unquam novos in ea exstitisse dominos, artibus et litteris indulgentes, existimant, omnino falluntur. Licet Sulla cum barbaris suis cohortibus urbem devastarit, Gothique, Alarico duce, eam ceperint et expilaverint, licet Iustinianus, ut antiquorum deorum cultus opprimeret, philosophorum ibi commorantium scholas clauserit, licet agmina ferocium Bulgarorum, Uzorum, Cumanorum Graeciam vexaverint acerrime, tamen simul cum sacris expeditionibus nova dies Athenis illuxit. Burgundis et Florentinis ducibus, Athenae prisco splendore circumdatae sunt, quum

---

1) Thevet Cosmographie de Levant (Lyon. 1554. 4.) chap. XXVIII D'Athenes, p. 93—94.
„Or est Athenes maintenant ruinée et y voit on encores à present belles antiquitez et choses qui ont esté autrefois de grande excellence etc.“

2) Chronica dell' origine e progressi della casa Ottomana, conposta da Saidino Turco, tradotta da Vincenzo Bratutti Raguseo. Vienna. 1649. 4. T. I. p. 192. „la Cità d'Atena (la qual' è patria de' Filosofi).“ cf. eiusd. operis vers. francog. mssam. (Cod. Reg. 10528^2.3^): „Athènes, la ville des sages.“ (ad a. 1470) ap. Daru histoire de Venise. Paris. 1819. 8. T. VII. p. 205.

et divitiis luxuriaque pollerent, et magnificae domus templaque exstruerentur, maximaque multitudo et Latinorum et Graecorum hominum ibi conflueret. Quis porro tota Graecia arces nobilium Francorum aedificatas nescit, quarum rudera nostra etiam aetate videre licet Bodonitzae, Passavae, Celephae, Carytenae, Naxi, aliis locis? Omnia denique oppida recentioris Graeciae, quae „*Κάστρο*" vel „*Παλαιοκάστρο*" dicuntur, istius temporis feudali dominio originem debere constat. Ducatum Atheniensem anno p. Chr. n. 1456 interiisse scimus; neque vero tam leve exiguumque nomen eius fuit, ut nullo vestigio relicto occideret. Quum enim in eius historia plurimos locos poeticae arti exercendae aptissimos invenias, poetis tradita est, itaque Ioannem Boccaccium [1]) cuidam fabulae suae nonnulla ex historia ducatus Atheniensis innexuisse manifestum est, id quod in descriptione eius historica alio loco comprobaturus sum. Atque ducis nomen postea ad Theseum translatum esse, multi poetarum loci demonstrant. Dantius Aligherius ille, dum Virgilium suum cum Minotauro fingit loquentem, ita dicit [2]):

„Lo savio mio inver lui gridò: Forse
„Tu credi de quì sia'l Duca d'Athene,
„Che sù nel mondo la morte ti porse."

Porro medio aevo Thebarum dominum Francogallica voce „sire" appellatum esse, et Graeci et Francogallici eius temporis scriptores docent; quo cognomine idem Dantius Pisistratum notat, quum in fabula quadam e Valerio Maximo [3]) sumta mulierem faciat exclamantem [4]):

---

1) Boccaccio Il Decamerone. Giornada. II. Novella VII. fol. 75 b. — 89 a. (ed. Ald. Venezia. 1545.)

2) Dante Inferno. XII. 16—18.

3) Valer. Max. V. I. ext. 2.

4) Dante Purgatorio. XV. 97—99.

„Se tu se' Sire della villa,
„Del cui nome ne' Dei fu tanta lite,
„E onde ogni sciencia disfavilla . . ."

Eodem ducis nomine a Boccaccio, Chaucerio, Shakespeario Theseum dictum esse, iam Gibbonius [1]) ille observavit. Quorum prior [2]) quum Theseide sua fabulosas res Arcitae et Palaemonis amplectatur, Thesei ducis aulam simillimam ducali illi sedi, quam ipse optime noverat, describit. Qua ex fabula Chaucerius eandem rem sumpsit et in opere illo, „Canterbury-tales" [3]) inscripto, denuo enarravit; neque ibi regem, sed ducem appellavit Theseum, sicuti Shakespearium in illo „Midsummernightsdream" idem fecisse nemo ignorat. Neque praetereundam puto Tommasei [4]) fabulam quandam, quae „Il duca d'Atene" inscripta est; quae etsi res a Gualtero II. duce Florentiae gestas neque quicquam de Graeciae statu enarrat, tamen nomen illud antiquum nobis ante oculos posuit. Quamquam sunt, qui, Gregoram [5]) secuti, ducis nomen Athenarum domino cuidam a Constantino M. inditum esse fabulentur, tamen Francogallicis dominis eius originem deberi manifestum est, quum Guidonem I a Ludovico IX Galliae rege eo decoratum

---

1) Hist. of the decline etc. ch. 62.

2) La Teseide di Giov. Boccaccio etc. Milano. 1819. 8.
„Perchè a Teseo il lor signor possente
„Duca di Atene . . ." Lib. I, 13. cf. I, 40.

3) The Canterbury-tales by Geoffrey Chaucer (ed. Wright. London. 1847.) T. I. v. 862—63:
„Ther was a duk that highte Theseus
„Of Athenes he was lord and governour."
cf. v. 2184 et 2503 de variis nobilium in Thesei aula commorantium titulis.

4) N. Tommaseo Il duca d'Atene. Parigi. 1836. 8. Der Herzog von Athen, Erzählung von N. Tommaseo. Stuttgart. 1847. 16.

5) Niceph. Gregoras VII, 5. cf. Livre de la Conqueste p. 116.

esse, e fontibus eius historiae [1]) evidentissime intelligere liceat.

His praemissis ad id, quod mihi proposui, pergam; atque primum quidem pauca de operibus huc usque impressis, quibus historia Francorum Constantinopoli et praesertim Athenis dominantium illustratur, verba faciam; deinde ad fontes ipsos recensendos aggrediar.

Carolum Fraxinetum (du Fresne), dominum Ducangium [2]), principem rerum Franco-Byzantinarum obscuritati lumen attulisse constat. Qui, nobili loco Ambiani anno 1610 natus et in collegio Societatis Iesu educatus, in iuris studia incubuit. In urbe patria aerario regio praefectus, pestilentia invadente, Parisios cessit, ubi, litteris deditus et de historia et Francogallica et externa optime meritus, anno 1688 a. d. X. Kal. Novembr. obiit Qui, doctrina summa ingentique eruditione insignis, cuius testes sunt eius „mediae atque infimae et Latinitatis et Graecitatis Glossaria" illa, quum Parisiis prima scriptorum Byzantinae historiae editio pararetur, ei summam navavit operam; in quibus emendandis et illustrandis quantum ei debeatur, ex Anna Comnena, Zonara, Nicephoro Bryennio, Silentiario, aliis satis luculenter patet. Quum vero ex his accuratiorem temporum Franco-Byzantinorum historiam peti non posse intellexisset, summam operam in scriptores occidentales, qui eam commentariis suis prodiderunt, impendit, quumque et Ioinvillium et Villeharduinum (de quo postea mihi sermo erit) edendos suscepisset, duo opuscula summae eruditionis conscripsit ad illustrandas res Franco-Byzantinas, alterum latina, alterum vernacula lingua. Atque

---

1) Livre de la Conqueste. l. l. *Βιβλίον τῆς Κουγκέστας.* v. 3043.

2) cf. Mémoires historiques pour servir à l'éloge de Charles du Fresne et à l'intelligence du plan général de ses études sur l'histoire de France. Paris. 1766. 4.

illud quidem, quod „historiam Byzantinam“ [1]) inscripsit, plurima continet stemmata, quae et familiarum Constantinopoli dominantium Graecarum aliarumque cum iis affinitatis vinculo coniunctarum res optime exponunt, et Turcarum Illyriaeque historiae tantum luminis afferunt, ut anno 1746 comes Iosephus Keglevich a Buzim [2]) eam partem, quae de Illyria exstat, denuo imprimendam et continuandam curaverit. Quo in opere Ducangius res Francorum saepius attigit, et summa cum arte critica tabulis genealogicis a Comneno quodam [3]) compositis — quas tamen erroribus et fabulis scatere manifestum est — usus est, quum ficta refelleret neque quicquam, nisi quod comprobatum erat, ex iis in suam historiam reciperet. Itaque gentium et Lascarinae et Comnenae genealogias optime et accuratissime exposuit et nugas illas, quas Iulius Puteus [4]) de Lascarium et Laurentius Miniatius [5]) de Comnenorum splendore proferre ausi sunt, plane refutavit. Mirum certe, Demetrium quendam Comnenum [6]) ante hos septuaginta annos, easdem fere fabulas protulisse, qui, ut gentis suae splendorem augeret, Ducangio fidem non habuit et Miniatii nugas recepit.

Multo autem maioris momenti ad historiam Franco-

---

1) Historia Byzantina duplici commentario illustrata etc. Parisiis. 1680. fol.

2) Illyricum vetus et novum. Posonii. 1746. fol.

3) Quae genealogiae, a I. Andr. Angelo Flavio Comneno conscriptae, Venetiis a. 1621. fol. in lucem prodierunt.

4) Imperialis gentis Lascaris genealogia (a Iulio Puteo conscripta). Veronae. 1656. fol.

5) Lor. Miniati Glorie cadute dell' antichissima ed augustissima famiglia Comnena. Venezia. 1663. fol.

6) Demetr. Comnène Précis historique de la maison Impériale des Comnènes. Amsterdam. 1784. 8. cf. Lettre de D. Comnène etc. 1807. 8.

Byzantinam illustrandam est opus eius Francogallicum [1]), quod cum editione sua Villeharduini coniunxit, quodque secundae illi scriptorum Byzantinorum editioni Venetae adhaeret. Quo libro postquam fusius enarravit historiam Constantinopolitanam annorum 1204—1261, ad singulas dynastias a Francis in Graecia conditas pergit, quarum res permultis documentis auctas ad excidium usque imperii Constantinopolitani continuat. Praeter veteres autem fontes duobus libris recentioribus usus est, quorum, quamvis hodie paene incogniti videantur, maximam tamen rationem habendam esse arbitratus est. Paulus enim ille Rhamnusius [2]), cuius „Storia de' Viaggi" nostro quoque aevo saepissime laudatur, historiam urbis captae a Venetis et Francogallis [3]) sex libris absolvit. Quo in opere componendo praeter Nicetam Choniatam et Villeharduinum nonnullas archivii Veneti chartas et Chronica quaedam adhibuit, quae Ducangii tempore nondum divulgata in bibliothecarum latebris iacuerunt. Sed postquam Ludovicus Muratorius V. Cl. rerum Italicarum scriptores edidit, annales illos inseruit cum chartis; ita ut, quaecunque Rhamnusio debuit Ducangius, facile apud Dandulum, Sanutum, Naugerium reperias. Nobis igitur parum novi afferre Rhamnusium, manifestum est; quem tamen sua ipsius aetate haud parvi aestimatum esse, et complures eius opusculi editiones docent et italica versio illa [4]), quam Andreas

---

1) Histoire de Constantinople sous les Empereurs Français etc. Paris. 1659. fol. Venet. 1729. fol.

2) cf. E. Cicogna Inscrizioni venete. T. II. p. 325 ff.

3) Pauli Ramnusii de bello Cpolitano et Impp. Comnenis per Gallos et Venetos restitutis historia. Venetiis. 1576. fol. 1609. fol. 1634. fol.; qua editione usus notavi pagg. 164, 182, 245 utpote pertinentes ad historiam Atheniensem.

4) L'imprese ed espedizioni di terra santa et l'acquisto fatto dell'

Maurocenus anno 1627 publici iuris fecit. Sequitur **Petrus Ultremannus** (**d'Outreman**), Valentianensis, cuius Constantinopolis Belgica [1]) quinque libros complectitur. Qui quum historiam comitum Flandrensium, qui Constantinopolis imperium tenuerunt, exponendam sibi proposuisset, res a Balduino I et Henrico fratre gestas accuratissime depinxit, usus praeter alios fontes codice manuscripto quodam [2]), fortasse in patria urbe — cuius historia ab eodem Ultremanno conscripta exstat [3]) — servato, qui Henrici rebus plurimum lucis affert. Cuius scriptorem Valentianensem illum Henricum, a Dom. Brialio postea editum, existere constat. Ultremannus quum tribus libris prioribus res ad captam usque urbem a crucesignatis gestas enarrasset, quarto Balduini historiam praecipue secundum Nicetam et Villeharduinum explicuit. Quinti deinde libri capitibus 1—4. Henrici res ad fidem codicis sui exponit et capp. 5—7 reliquorum imperatorum Franco-Byzantinorum ad Balduinum II historiam breviter perstringit. Cui opusculo praeter notas non sine studio ac diligentia compositas adhaeret „de excidio Graecorum liber singularis", quo libro quum res Constantinopolis et dynastiarum singularum Graeciam regentium ad annum 1460 continuat, tum cap. tertio multa enarrat de

---

imperio di Constantinopoli della Rep. di Venezia dopo l'anno 1205 da Andr. Morosini. Venezia. 1627. 4.

1) Petri d'Outremanni Valentianensis Constantinopolis Belgicae libri V; accedit de excidio Graecorum liber singularis. Tornaci. 1643. 4.; quo in libro de Athenis comparandas consulendasque duxi paginas 278, 396, 421, 436, 467, 523, 557; quibus Ducangius plurima debet, etsi multa perperam.

2) cf. p. 416: „Ita MS. Codex, cui, ut cetera quae subdit, assentiar" etc.

3) cf. Histoire de la ville et comté de Valenciennes par Henri d'Out. (n. 1546, m. 1605), publiée par Pierre d'Out. (filius n. 1591, S. I. adscriptus 1611, m. 1656). Douai. 1639. 1687. fol.

Catelanorum expeditione illa; quae, e Moncada hausta, etsi parum accurate scripta videntur, tamen excusare liceat Ultremannum, qui pro fontium ei apertorum inopia tantum hac in historia profecerit.

His igitur ducibus, Ducangius historiam suam scripsit, quae tanto superior est illis operibus, ut iure „pater historiae Franco-Byzantinae“ habeatur. Permulta quidem desiderari videntur, plura falsa et perperam tradita esse negari non potest, imprimis quae ad insulas Graecas spectant; sed nihilominus incredibilis eius diligentia admirationem nostram fugere non potest. Quod Archipelagi quidem et ducum Naxi [1]) dominantium historiam nimis neglexerit, ei ignoscendum puto, etsi in Sanuti Torselli „Secretis fidelium crucis“ nonnulla ad eos pertinentia ei reperire licebat. Reliqui enim qui ea de re fontes exstant, aut libris perraris, scilicet Genealogia quadam Ducum Archipelagi et dominorum Pari, Venetiis exeunte saeculo XVI° impressa, continentur, aut ante Ducangii tempus edita nondum erant, veluti Piacenzae Aegaeum redivivum et Saugerii historia Naxi [2]), nostra aetate rarissima opera. Ipse tamen Ducangius opus suum non omnibus ex partibus absolutum esse intellexit; quapropter alterius editionis parandae cepit consilium. Quum vero mors repentina senem paene octogenarium abstulisset, manuscriptum latuit opus, donec nostro aevo, curante I. A. Buchonio V. Cl., in lucem prodiit [3]). Prius huius editionis volumen sex libris res Francorum

---

1) cf. Naxos. Ein Vortrag von E. Curtius. Berlin. 1846. 8. p. 39 et Ross Inselreisen T. I. p. 27 seq.

2) Piacenza l'Egeo redivivo o'sia chorographia dell' Arcipelago etc. Modena. 1688. 4. (Sauger) Histoire nouvelle des anciens ducs et autres souverains de l'Archipel etc. Paris. 1698. 12. 1699. 12.

3) Buchon Collection des chroniques nationales françaises. T. I. II. Ducange histoire de l'empire de Constantinople. Paris. 1826. 8.

inde ab anno 1204 usque ad urbem a Palaeologo recuperatam continet, alterum tribus libris historiam complectitur familiarum occidentalium, quarum dominia imperii Franco-Byzantini superstitia fuerunt. Hanc igitur recensionem si cum illa comparaverimus, tanto opere eam et chartis emendatam esse cognoscemus, ut novum paene opusculum esse videatur.

Quaeramus igitur, quid sit, quod apud Ducangium de Athenarum historia reperiatur. Quam si, uti postea demonstrabitur, in tres dividimus periodos, de prima illa, quam Francogallicam appellamus, optime disserit, quum non solum res ducum ex gente Rupensi (de la Roche) oriundorum pro fontibus ei apertis satis accurate enarret, sed etiam chartas duas, quae ad illustrandam Guidonis I. (1221—1264) historiam multum conferunt, ex archivio regio exhibeat. Miror tamen, quî factum sit, ut Guidonem II ducem (1286—1308) praetermiserit eiusque loco Hugonem Brennensem (de Brienne), Licii comitem et Carytenae dominum, Athenarum ducem finxerit. Nam nil, nisi tutelam Guidonis infantis gessit Hugo, cuius quidem filius Gualterus (1308—1310) primus et ultimus dux Athenarum ex Brennensi familia ortus extitit. Scilicet Scipionem Ammiratum inspicere ei licuit, qui, dum de genealogia Brennensium comitum Licii disserit, archivii Neapolitani chartis probat, Hugonem nunquam Athenarum ducem fuisse, hisce verbis usus[1]): „Ugo, conte di Lecce, la cui moglie Elena e non egli fu Duca d' Atene.“ Gualteri autem et primi et secundi res, praesertim altera operis recensione, tanta cum sollertia diligentiaque descripsit, ut nostro etiam tempore vix quic-

1) Sc. Ammirato famiglie celebre napoletane. Firenze. 1615. fol. T. I. p. 100.

quam adiici posse videatur. Minus accurate instituta sunt, quae de secunda illa periodo, Catelanicam dico, eius opere continentur. Cuius etsi perpauca exstant monumenta, tamen Zuritae annales, qui ea de re praecipue consulendi erant, non recte adhibuit. Quare, si aliquot epistolas paparum ineditas excipias, nil, quo harum rerum obscuritas illustretur, nobis praebet. Diligentius historiam periodi Florentinae exposuit Ducangius, qui, quamquam nullae ei chartae, ad Acciaiolorum gentem spectantes, subministratae erant, tamen ex scriptoribus Byzantinis et libro illo Ultremanniano eam perbene illustravit. Itaque Ducangii historia Franco-Byzantina laudanda est, utpote primum specimen historiae Francorum in Graecia dominantium; cui operi quamquam haud pauca deesse nemo est, qui neget, tamen, si ad fontes, qui ei ad manus fuerunt, respicimus, admiratione nostra non indigna videtur. Id quod omnes scriptores, quicunque post Ducangium hanc Graecae historiae periodum tractavere, intellexerunt, eumque ad nostram aetatem fideliter sunt secuti. Itaque Morerius in „Lexici historici“ sui supplemento [1]) eum excerpsit s. v. Athènes, ex quo hausta sunt, quaecunque in Pouquevillii itinerario illo Graeco [2]) de historia Atheniensi scripta inveniuntur. Neque aliter Michaudius [3]), qui, dum expeditiones sacras depingit, in appendice historiam principatuum a Francis in imperio Byzantino constitutorum addidit. Qui quamquam de enarrandis expeditionibus sacris optime est meritus, res Graecorum nimis neglexit, neque usquam Chronici illius Moreotici habuit rationem. Quin etiam, dum de

1) cf. Nouveau supplément au dictionnaire historique de Moréri. Paris. 1741. fol. T. I. p. 67.

2) Pouqueville voyage dans la Grèce. Paris. 1820—1827. 6 Voll. 8. T. III. p. 481.

3) I. Michaud histoire des croisades. Paris. 1825—29. 6 voll. 8. v. appendicem.

Archipelago verba facit, quinque tantummodo Naxi duces recenset, quos ab anno 1208 ad annum 1566 regnasse putat, etsi iam centum annis ante Rob. Saugerius et, qui post eum vixit, Leonhardus comes Pasch di Krienen [1]) genealogiam undeviginti ducum inibi dominantium, tam Sanutorum et Carceriorum, quam Crisporum accuratissime tradiderunt.

Porro non solum Sponius, Whelerus et Chandlerus [2]), qui in itinerariis suis de rebus ducum Atheniensium nonnulla disserunt, Ducangii opere praecipue sunt nixi, sed etiam nostri aevi scriptores plurimi, ut Leakius [3]) in „Topographia Atheniensi,“ eum ducem sunt secuti.

Sed ut ad eos progrediar scriptores, qui post Ducangium scribendis Athenarum rebus operam navarunt, primus nobis occurit G u i l l e t e r i u s (de la Guilletiere)[4]). Cuius frater Guilletius exeunte saeculo decimo septimo a Turcis captus esse fertur et itinerarium Graecum composuisse, quod Guilleterius in conscribendis duobus libris suis de Athenarum et Lacedaemonis historia imprimis adhibuit. Qui multa

---

1) Sauger l. l. Pasch di Krienen breve descrizione dell' Arcipelago etc. Livorno. 1773. 8.

2) Spon voyage d'Italie etc. Lyon. 1678. 8. T. II. p. 119. Wheeler Travels into Greece. London. 1682. fol. p. 337—414. Chandler Travels into Greece. London. 1765. 4. p. 23—172.

3) Leake Topography of Athens. London. 1821. 8. cf. Introduction p. LXXIII et „Peloponnesiaca“ eiusdem scriptoris p. 136 sq.

4) cf. de la Guilletiere Lacédémone ancienne et nouvelle. Paris. 1676. 12. 1679. 8. et idem opus latino sermone scriptum: Lacedaemon vetus et nova cum secessu Thessalico. Paris. 1676. 2 voll. 12. Amstelod. 1679. 12. — Eiusd. Athènes anciennes et nouvelles et l'état présent de l'empire des Turcs. Avec le plan de la ville d'Athènes. Ed. III. augmentée. Paris. 1676. 12.

De Guilleterio alii alia tradunt; sunt qui neutrum fratrum Graeciam peragrasse existiment. cf. Emerson history of Modern Greece. T. I. p. 275 sq.

et memoratu digna de recentiori Athenarum conditione, praecipue qualis sua aetate fuit, continet; quum vero res illius urbis nonnisi ad Turcarum usque tempus pertractare constituerim, non est, cur de eius libro ac fide plura verba faciam.

Ducangio superstite, Athenae a Venetis expugnatae sunt, ducibus Ottone Guilelmo comite a Koenigsmark et Francisco Mauroceno Peloponnesiaco, anno funesto illo 1687, quo Minervae aedes tum superstes et integra casu infelici combusta et paene funditus eversa est. Tum tota fere Peloponnesus Venetorum ditioni subdita erat; quae etsi haud multo post denuo sub Turcarum potestatem redacta est, tamen haud scio, an hac ipsa calamitate docti illius aetatis viri impulsi fuerint, ut rebus Graecorum illustrandis et quasi in luce ponendis operam darent. Licet Dapperius et Albrizzius [1]), qui „Moreae" res scripserunt, nil ad Athenarum historiam attulerint novi, ad duos tamen Venetos respiciendum est, qui eodem fere tempore ad hanc historiam scribendam sese applicuerunt: Coronellum et Fanellium.

V i n c e n t i u s  C o r o n e l l u s, qui, archivarii Veneti munere functus, anno 1718 diem obiit supremum, quum inter geographos sui aevi excelluit, tum de Graecia illustranda optime est meritus. Immensa quadam diligentia praeditus, consilium cepit scribendae „Bibliothecae universalis" [2]), quae, quadraginta quinque voluminibus absoluta artes litterasque universas complecteretur. Quod opus, quam-

---

1) Dapper Naukeurige Beschryving van Morea en de na bygelegene Eylanden. Amsterdam. 1688. fol. Esatta notitia del Peloponeso, volgarmente penisola della Morea, per Girol. Albrizzi. Venetia. 1687. 4.

2) V. Côronelli Biblioteca universale sacro-profana o sia gran Dizionario etc. Venezia. 1701 sq. 7 Voll. fol. (Litt. A—Caque).

quam non perfectum est, tamen in eo sunt, quae ad exponendas Graeciae res non parum conferant, id quod intelligere licet sub vocibus: Acciajoli, Assanti, Beatiani. Idem »descriptione Venetiarum«[1]) optime historiam patriae adumbravit, neque eius »Chronologia universalis«[2]) contemnenda est.

Quae vero ad Graeciam fere solam spectent, tria sunt eiusdem opera, quorum priore[3]) insulas Graecas Venetorum quondam potestati subditas describendas suscepit nec non mappa geographica eleganter depicta illustravit. Multa in eo libro de Archipelagi insularum conditione, ex Archivio reipublicae Venetae hausta, inveniuntur, quae maximam partem ab alio scriptore nullo hucusque sunt tradita; quamobrem, quicunque earum insularum res vult conscribere, ei ad hoc Coronelli opusculum maxime videtur esse respiciendum. Neque minoris existimandam puto descriptionem illam Rhodi insulae[4]), ubi et de feudis ordini S. Iohannis subditis, et de Assantiorum (qui Nisyri dominium tenuere 1309—1385) et Baiatianorum (qui Nicariam rexere 1191—1333 et 1346—1566) gentibus multa et bene dicta reperias. Quodsi vero ad Athenas praecipue respicimus, ratio est habenda descriptionis illius Peloponnesi[5]), quae et in varias linguas, germanicam scilicet et francogallicam, versa est. Quo in libro, exposito Peloponnesi statu, qualis

---

1) Id. Singolarità di Venezia. Venezia. 1700. 14 Voll. fol.

2) Id. Cronologia universale. Venezia. 1706. fol.

3) Id. Isolario. Venezia. 1696. 2 Voll. fol.

4) Id. Isola di Rodi geografico-storica, antica e moderna, coll' altre adjacenti già possedute da' cavalieri Hospitalieri di S. Giovanni di Gierusalemme. Venezia. 1688. 8. ib. 1742. 8.

5) Descrizione geografico-storica de la Morea. Venezia. 1686. fol.; versio german. ed. 1686. 8; francogall. (Déscription géographique et historique de la Morée). Paris. 1687. fol. et, qua ego usus sum, Amstelodami. 1686. 2 Voll. 8. (Mémoires sur la Morée, Nègrepont etc.)

imperitantibus fuerit Venetis, priorum temporum res pergit enarrare et diplomata duo maximi momenti, Argorum historiam illustrantia, ex historia ms. Raphayni Caresini, archicancellarii Veneti, affert, quae postea a Muratorio quasi ad supplendum Danduli ducis Chronicon edita est volumine XII° scriptorum Italicorum. Neque tamen facere possum, ut taceam errorem gravissimum, in versione eiusdem operis francogallica commissum; qui quomodo irrepserit, intelligere vix possum. Ait enim [1]) exeunte saeculo XIV° Athenarum dominum seu „tyrannum" fuisse philosophum quendam, Aristonicum, qui, Epicuri assecla, urbe violenter potitus, a Bajazito I. fuerit devictus. Sane quidem Athenas a Bajazito I. expugnatas esse, et ex Ducae loco quodam [2]) coniici potest, et ex Turcis scriptoribus illis, Seadeddino [3]) et Edrisio et Ssolaksadeo [4]) patet; at neque tota antiquitate occurrit eius nominis philosophus, neque Turcarum tempore urbi praeesse potuit Epicureus, nisi forte, qui anonymus huius versionis auctor fuit, Epicuri scholas ad illud usque saeculum superstites fuisse putabat. Fortasse Acciaiolorum nomen minus notum in Aristonicum immutavit et mutilavit.

Multo certe plura, quam Coronellus habet, reperire licet in Fanellii „Athenis Atticis."

Franciscus Fanellius [5]), ICtus Venetus, non ab-

---

1) l. l. p. 203. Bajasid triompha d'Athènes, lorsqu'elle se trouvait sous l'obéissance d'Aristonique, philosophe épicurien, qui en était Tyran.

2) Ducas cap. XIII. p. 47: *καὶ τὰς πέριξ κώμας ἀφανίζει* (sc. *ὁ Παγιαζήτ*) *καὶ . . . . τὰ τῶν Ἀθηνῶν μέρη.* cf. Cambini ap. Sansov. (ed. 1564) fol. 149. a.

3) Seadedd. trad. da Bratutti. T. I. p. 192.

4) cf. Hammer Osmanische Geschichte. T. I. p. 252. not. b.

5) Fr. Fanelli Atene Attica descritta da suoi principii sino all' acquisto fatto dall' armi Venete nel 1687. Venezia. 1707. 4. De-

horrens ab humanioribus studiis, Athenarum res ab antiquissimis temporibus ad annum 1687 describendas suscepit. Quae vero de antiqua urbis conditione ex scriptoribus veteribus et monumentis lapidibus incisis protulit, praetereo, neque quicquam, nisi quae de Francorum tempore litteris mandavit, exponam. Ac de Francogallorum quidem dominio perpauca continet, quum ne enumeret quidem duces, qui tamen apud Ducangium reperiuntur; multo vero negligentius composita sunt, quae de Catelanis dicit, quia fortasse fontes ei ad manus fuerunt nulli. Optima pars est illa, quae Acciaiolorum complectitur periodum, ad quam depingendam non solum scriptoribus Byzantinis, sed etiam archivio Florentino usus est. Attamen in hac praestabiliore operis parte saepius erravit; sunt enim in Chalcocondyla, quae praetermisit, non pauca, et alia, quae frustra in fontibus quaesiveris, finxisse et poetarum modo ornasse videtur Fanellius. Quamvis autem Buchonius omnes ducum Acciaiolorum effigies, quas in eius opere videre licet, a Fanellio simulatas esse contendat, tamen id mihi quidem immerito dictum videtur esse; quia duas ducum Atheniensium imagines in porticu Florentina superstites esse e Pompei Littae opere clarissimo, quod »Famiglie celebri italiane« inscribitur, elucet, quas imagines eodem loco idem vir doctissimus delineandas curavit. Porro quum et charta quaedam [1], qua Raynerio I. duci (qui Athenas rexit 1386—1394) a Ladislao, Neapolis rege, frater substituitur Donatus, in eius historia primum reperiatur, quumque reliqui, qui ad Acciaiolorum tempora spectant fontes, Fanellio melius, quam Ducangio adessent: iure, ut qui de Athenarum historia bene sit meritus, post illum laudabitur.

Multa deinde ad investigandas Athenarum antiquitates

dicavit opus suum Nicolao Acciaiolo, Ostiensi episcopo, quem a. 1719 mortuum esse ex Littae tab. VII^a. apparet.

1) l. l. p. 290—293.

suscepta sunt, postquam Careyus, Nointelii auspiciis, Parthenon tum superstitem depinxit, et Pittonus ille Tournefortius [1]) Graeciae regiones itinerario suo illustravit. Sed ad antiqua tempora potius animos adverterunt scriptores, quam ad medii aevi obscuritatem. Itaque perpauca reperimus in Caroli le Beau historia Byzantina [2]) eiusve continuatione ab Ameilhonio instituta; quam quum ante hos viginti octo annos emendandam et denuo edendam suscepissent St. Martinus et Brossetus, viri de Armeniae et Georgiae historia egregie meriti, multifariam aucta prodiit, iuvante Chronico illo Moreotico. Porro, ut Burignyi et Royoui libros mittam, in Gibbonii quidem opere [3]) frustra novi aliquid de Athenis quaerimus; perpauca enim pro fontibus, quibus ei uti licuit, tradit, eaque maximam partem e Ducangio hausta videntur.

Multo accuratius contexta et copiosius composita sunt nonnulla opuscula, quae de quibusdam Graeciae regionibus, praesertim de insulis Ionicis, Venetis auctoribus, in lucem prodierunt. Commemorare liceat Flaminii Cornelii (Cornaro) Cretam sacram [4]) et Hieronymi Giustiniani Chium sacram[5]), quorum librorum scriptores quum ecclesiarum status ex-

---

1) cf. Tournefort voyage au Levant. Paris. 1717. Amsterdam. 1718. 2 Voll. 4.

2) Ch. le Beau hist. du Bas-Empire. Paris. 1749—1757. 16 Voll. 12.; contin. ab Ameilhonio. Paris. 1757—1786. 26 Voll. 12.; ed. rec. Paris. 1824 sq. 20 Voll. 8.

3) Burigny histoire des révolutions de l'empire de Constantinople. Paris. 1750. 3 Voll. 12. I. Cor. Royou histoire du Bas-Empire. Paris. 1803. 4 Voll. 8. Gibbon the history of the decline and fall of the Roman empire. Basil. 1789. 8. T. IX. c. LXII. p. 153—162.

4) Creta sacra seu de episcopis utriusque ritus graeci et latini in insula Cretae etc. auctore Flam. Cornelio. Venetiis. 1755. 2 Voll. 4.

5) Scio sacra del rito greco e latino, da M. G. Giustiniani. 1558. 4.

plorandos sibi proposuissent, rerum publicarum enarrationi non minorem operam navarunt. Consimilis est A. Marmorae historia Corcyrensis 1), qui etsi multa de gentis suae splendore fabulatur, tamen obscuram patriae suae historiam bene adumbravit, quem nostro aevo Botta et Andreas comes Mustoxides 2) sunt secuti. Praeter hos scriptores Remondinii historiam Zacynthi 3) et Saulii, Pagani et Alex. Vlasti 4) opera de Genuensium dominio scripta non parvi existimanda duxi, quorum libris me in conscribenda Atheniensis ducatus historia non sine magna utilitate usum esse fateor. Sed quum illi alias Graeciae partes describere praecipue studuerint, plura de iis dicere omitto, et ad ea progrediar, quibus Buchonius V. Cl. hac nostra aetate historiam Franco-Byzantinam ita illustravit, ut alter quasi Ducangius dici queat.

Ioannes Alexander Carolus Buchonius 5), vir litterarum artiumque Francogallicarum studiis insignissimus 6) et de patriae historia egregie meritus, Menneton-

---

1) A. Marmora historia di Corfu. Venetia. 1672. 4.

2) C. G. G. Botta descrizione della isola di Corfu. Milano. 1799. 2 Voll. 12 (quod opus praecipue ad histor. natural. spectat). Andr. Mustoxidi illustrazioni Corciresi. Milano. 1811—1813. T. I. II. 8. Eiusd. Storia di Corfu. ms.

3) (Barth. Remondini) de Zacynthi antiquitatibus etc. Venetiis. 1756. 8.

4) L. Sauli della colonia dei Genovesi in Galata libri VI. Torino. 1831. 2 Voll. 8. C. Pagano delle imprese e del dominio dei Genovesi nella Grecia libri IV. Genova. 1846. 8. *Χιακὰ ἤτοι ἱστορία τῆς νήσου Χίου παρὰ τοῦ ἰατροῦ Ἀλεξ. Μ. Βλάστου. Ἐν Ἑρμουπόλει.* 1840. 2 *τόμοι.* 8.

5) cf. Quérard histoire littéraire de France. 1827. 8. T. I. p. 548.

6) „Il est peu d'hommes qui de notre temps aient rendu plus de services aux études historiques etc.“ La litt. franç. contemporaine par Ch. Louandre et Felix Bourquelot. Paris. 1846. 8. T. II. p. 463.

Salonii natus est a. d. XII. Kal. Iun. anno 1791, et variis muneribus publicis functus, ante hos sex annos (a. d. III. Kal. Mai. 1846) praematura morte nobis ereptus est. Multis opusculis historicis maximam laudem est assecutus, quae tamen omnia enumerare longum est; itaque nonnisi illorum rationem habebo librorum, quibus Graeciae rebus lumen attulit. Quum enim, triginta tres annos natus, constituisset, quaecunque res gestae gloriam gentis Francogallorum apud externos propagarunt populos, disquirere earumque historiam, collectis undique monumentis superstitibus, componere, ad quartam expeditionem sacram animum advertit. Atque primum quidem Ducangii opus illud denuo imprimendum curavit ad fidem msi. tunc inediti, cuius vestigiis insisteret in emendanda historia Franco-Byzantina. Deinde vero iuvit eum maxime, quod Chronicon Moreae illud, iam Boivino notum, in codice quodam Bibliothecae Regiae reperit; quod gravissimum Franco-Graeciae monumentum tribus editionibus, uti infra dicam, valde illustratum emendavit. Princeps eius editio [1]) una cum Ducangio in »Collectione« illa »Chronicorum Francogallicorum« edita est, quae XLVII voluminibus absoluta praeter alios scriptores et Villeharduinum et Froissartum complectitur. Secuta est editio princeps [2]) mappae cuiusdam geographicae, anno 1375 compositae et Catelanicis notis explicatae, quam cum Tastuo in opere illo praestanti: »Notices et extraits etc.« edidit, multifariam neque tamen absolute explicitam. Dein, quidquid in occidentalibus medii aevi scriptoribus de Franco-Graeciae rebus memoriae erat proditum, collegit et duobus voluminibus

---

1) Ducange histoire de l'empire de Constantinople. Paris. 1826. 2 Voll. 8. Chronique de la Morée. 1828. 8.

2) Notice d'un atlas en langue catalane, ms. de l'an 1375, conservé etc. par mss. Buchon et Tastu. Paris. 1837. 4. ed. II. in: Notices et extraits etc. T. XIV. P. II. p. 1—152. Paris. 1841. 4.

edidit, inscriptis: „Recherches et matériaux pour servir à une histoire de la domination française [1]) etc." Cuius operis quum alterum volumen nil nisi castigatam Villeharduini et Henrici Valentianensis editionem contineat, hoc loco id praetereundum esse arbitror. In primo vero libro locos variorum scriptorum de Franco-Graecia exstantes collegit, et historia imperii Constantinopolitani breviter exposita, ad Moreae principes et dominos iis subditos progreditur, de quibus multa et nova ex libris impressis quidem, maximam tamen partem incognitis et obsoletis fere, attulit. Multa certo in hoc opusculo errata sunt, neque, qui ad Athenas spectant fontes, eos satis exploravit, ita ut pro quinque ducibus ex gente Rupensi oriundis, tres tantummodo statuerit, Ottonem scilicet et Guidones duos. Ioannem (1264 — 1275), de quo et Gregoras et Pachymeres multa tradiderunt, omnino omisit, et Guilelmum (1275 — 1286) cum Guidone II. filio (1286 — 1308) prorsus confudit, inductus fortasse Chronista illo Moreotico, qui, negligentior in nominibus discernendis, Guidonem I. semper Guilelmum appellavit [2]). De Catelanorum periodo nil omnino recepit Buchonius neque in hunc librum, neque in reliqua sua opuscula; id quod mirum videtur, quum, etsi neque Catelani neque Florentini duces erant depingendi, nihilominus permulta de Acciaiolis collegerit. Fortasse Catelanorum periodum omnino suis investigationibus excludit, quia isti „piratae" Francis omnino eripuerant Athenas, etsi ipsi sese Francos dicebant; Acciaioli autem quum a Ladislao Andegavensi, Neapolis rege, duces essent creati, legitimi Athenarum possessores habebantur. Atque quum

1) Recherches et matériaux pour servir à une histoire de la domination française en Morée par I. A. Buchon. Paris. 1840. 2 Voll. 8. cf. Vol. I. p. 315 sq.

2) cf. *Γυλιάμου* loco *Γγίου*. *Βιβλ. τ. Κουγκ.* v. 1849 et 6631.

in enarranda prima periodo Ducangium praecipue ducem sit secutus, hac in extrema Fanellium maxime adhibuit, cuius rei testis est charta illa Neapolitana superiore loco commemorata, quam e Fanellio sumptam retulit. Quocum opusculo sunt coniungenda, quae eodem anno 1840 edidit Chronica externa ad expeditiones saeculi XIII' Francogallicas pertinentia [1]). Sunt autem illa praeter Chronicon Moreae, tum primum integrum et Graeca lingua editum, vernacula versio Chronici illius Raimundi Muntaneri et Chronicon Petri III., Aragoniae regis, a Bernardo Dezcloto Catelanica dialecto conscriptum; quibus libris adhaeret Chronicon quoddam haud parvi momenti, quod de Ioannis Procidae conspiratione ab auctore anonymo compositum est.

Paullo post, quam Buchonius haec vulgavit opera, in Graeciam est profectus, ut in ipsis locis indagaret reliquias dominii Francici. In Graecia etsi perpauca monumenta mssa. invenit, tamen multarum arcium aliarumque aedium ruinas est intuitus, quas cum insignibus et monetis principum in „Atlante" suo „Moreotico" [2]) edidit. Priusquam vero itinerarium suum [3]), cuius primum tantum volumen editum esse dolemus, typis mandavit, novas de Moreae

---

1) Chroniques étrangères relatives aux expéditions françaises pendant le XIIIme siècle, publiées pour la première fois, élucidées et traduites par I. A. Buchon. Paris. 1840. 8.

2) Atlas de la principauté française de la Morée, par Buchon. Paris. 1845. fol.

3) La Grèce continentale et la Morée. Voyage, séjour et études historiques en 1840 et 1841 par I. A. Buchon. Paris. 1843. 8. Quae ibi enarrat, partim antea impressa sunt in libro illo: Revue de Paris. Bruxelles. 1842-43. 8. cf. 1842. Voll. VII. XI. XII. 1843. (quo libro nonnulla etiam de itinere a Buchonio in insulis Graecis facto continentur) Voll. I. II. III. V. VIII.

principatu disquisitiones [1]) publici iuris fieri voluit. Quo in opere duas historiae Franco-Byzantinae periodos discernit, quarum alteram ab a. 1204 ad a. 1333, alteram ad a. 1470 ducit. Illi duo, huic quattuor destinavit volumina, quorum postrema tamen propter Buchonii obitum vulgata non sunt. Prima duo volumina editionem tertiam complectuntur Chronici Moreotici, ad fidem msi. Havniensis emendati, cui appendicis modo codex diplomaticus principatus Achaici adhaeret, et eiusdem libri textum Francogallicum, qui a saeculi XIV[i] scriptoribus saepe tamquam „liber conquistûs imperii Romaniae“ notatur. His de libris infra mihi dicendum erit, si ad fontes ipsos pervenero; at tacere non possum, hunc mihi codicem diplomaticum omnino fere supervacaneum esse videri, quum, si perpaucas chartas e Commentationibus Academiae Monacensis[2]) transsumptas excipias, omnia illa diplomata in aliis Buchonii operibus reperiantur, aut in antiquarum et priorum disquisitionum voluminibus duobus illis, aut in secundo secundae periodi tomo. Attamen tabulas duas genealogicas satis bene compositas [3]) adiecit, quae familias et Falcobergicam et Cephaloniensem illustrent, tamquam supplementa illarum genealogiarum, quas una cum primis suarum commentationum voluminibus vulgavit. Duobus porro secundae seriei tomis chartae continentur permultae archiviorum Pisanorum, Lucensium, Florentinorum, Neapolitanorum, Siculorum, Melitensium et Corcyrensium, quibus chartis imprimendis alte-

---

1) Recherches historiques sur la principauté française de Morée et ses hautes baronnies. Prem. époque. T. I. II. Seconde époque. (Nouvelles recherches etc.) T. I. II. 4 Voll. Paris. 1843—1845. 8.

2) Abhandlungen der bayrischen Akademie. München. 1837. 4. Ross und Schmeller Urkunden zur Geschichte Griechenlands im Mittelalter. T. II. Vol. I. p. 151—189.

3) l. l. p. 481 et 503.

rum, alterum explicandis destinavit. Permulta ibi summi momenti documenta, ad Athenarum historiam pertinentia, reperiuntur, quum et Marmieriano stemmate Rupensis familiae et Acciaiolorum archivio sit usus locupletissimo. Neque, quas addidit explicationes, sunt contemnendae, etsi multa in iis, quae ad Graeciam minime spectant, occurrunt, quae tamen universali historiae ex fontibus ante ignotis haud parum luminis afferunt. Proposuerat sibi Buchonius, duobus voluminibus postremis eodem modo documenta permulta archivii Veneti, ad Euboeae dominos »terciarios« pertinentia, edere; sed mors eum abstulit, antequam haec in lucem prodierunt. Eandem ob causam historicum eius opus non ad perfectionem ductum est, quo, quidquid ex fontibus hauserat, contexere voluit, qui liber inscribitur: „Histoire des conquêtes et de l'établissement des Français dans les états de l'ancienne Grèce sous les Ville-Hardoin. Paris. 1846. Tome I.“ Summae certo eruditionis testis est haec historia, quae tamen ob auctoris mortem nonnisi ad annum usque 1290 ducta est. Sed et multa ei insunt errata, leviora quidem, quae tamen vitanda erant. Itaque Michaelem Acominatam, Athenarum archiepiscopum, Iconio oriundum facit [1]), quum eum Chonis (quae urbs Colossae quondam nuncupabatur) natum esse nemo est, qui ignoret. Eodem modo erravit, quum Guidonem (quem Guilelmum appellavit falso nomine) Pallavicinum Marchionem, qui primus Bodonitzae imperavit [2]), Franco-

1) l. l. p. 24. 30. cf. Ellissen Michael Akominatos von Chonae, Erzbischof von Athen. Göttingen. 1846. 8. p. 8. not. 7.

2) l. l. p. 38. cf. Innocent. III. epp. lib. XIII. 136.; ed. Baluze. T. II. p. 477. „G. marchio Pelavicinus“; neque, ut Buchonius l. l. putat, Guilelmus; quum G. littera et „Guidonem“ et „Guilelmum“ significare possit. cf. „Guis marques“ in Eliae Cairels poematis v. 38. apud Buchon. l. l. p. 449 et P. Littae Famigl. celebr. ital.

gallum finxerit, qui, tamquam „sire de Pellevoisin", regione Bituricensi fuerit oriundus. Idem porro, quod in Fanellio reprehendimus, Buchonius commisit, quum res gestas nimis ornaverit. Itaque concionem illam πολυθρύλλητον, quam Henricus imperator anno 1210 Ravennicae habuit iusto accuratius exposuit[1]) omnesque imperii Franco-Byzantini principes ibi praesentes fecit et recensuit, de quibus omnibus in fontibus tacetur. Neque, quod ad chronologiam attinet, sibi constans fuit, id quod in omnibus eius operibus vituperandum est. Quae eius levitas etsi multifariam videtur coarguenda, tamen de hac historia Franco-Byzantina optime meritum esse Buchonium nemo negabit, et iure dolendum est, eum, praematura morte litterarum artiumque studiis ereptum, incepto operi finem imponere non potuisse.

Itaque, quicunque nostra aetate mentionem fecerunt ducatus Atheniensis aliarumve Graeciae regionum Achaicis principibus subditarum, Buchonium imprimis ducem sunt secuti. Zinkeisenius tamen, qui universalem Graeciae historiam conscribendam suscepit, de medii aevi dominiis nil hucusque vulgavit, fortasse quum plura novaque e Buchonii studiis sibi usui fore exspectaret et praesertim in ducum Cretensium historiam incumberet. Quod vero ad Turcicam eiusdem historiam[2]) attinet, cui brevem inseruit Franco-Graeciae descriptionem, iisdem fere verbis ab eodem in Lexico illo universali Lipsiensi repetitam, Ducan-

---

Fam. XLI. Disp. 77. Tav. XIV. s. n. Guido detto Marchesopolo etc.

1) l. l. p. 125—168.

2) cf. I. W. Zinkeisen Geschichte des osmanischen Reichs in Europa. Hamburg. 1840. 8. T. I. p. 177 sq. cf. pagg. 339 et 746; idem in libro dicto: Conversations-Lexicon. Leipzig. T. VI. 1844. p. 386—392. s. v. Griechenland.

gium solum est secutus saepiusque vehementer erravit. Itaque ex gente Brennensi tres duces Athenis imperasse scribit, quum unus tantum Gualterus urbis dominium tenuerit, et „Trudeluden" istam fabulosam Delphorum ducissam facit [1]), quem errorem e mendosa Chalcocondylae editione in Hammeri etiam historiam imperii Ottomanici [2]) et H. Leonis [3]) opuscula historica irrepsisse vidimus. Secundum Buchonium primus ante hos sex annos Adolphus Ellissenus, qui historiam Atheniensem ab a. 146 ad Gothorum usque primas invasiones [4]) scripsit, ducum Atheniensium seriem recensuit in annotatione ad Michaelis Acominatae vitam addita [5]), quam tamen seriem nonnullis erroribus laborare manifestum est. Duo praeterea opera hac de Graecae historiae parte in Anglia scripta non praetermittenda duxi. Alterum est Emersonii Novae Graeciae historia [6]), quae res Graecas ab a. 146 a. Chr. n. ad a. 1830 complectitur; cuius quidem operis capp. III — V ad illa tempora spectant. Laudandum sane est, quod res Naxi, de quibus videndae sunt epistolae [7]) eiusdem, accuratius tractavit; quum vero Gibbonium praecipue emendare et supplere sibi proposuerit, et Ducangium, Rhamnusium, Moncadam tamquam fontes genuinos secutus sit, neque Chro-

---

1) l. l. p. 332.

2) J. v. Hammer Geschichte des osmanischen Reiches. Pest. 1827. T. I. p. 249—250. „Die Herzogin Trudeluda, Gemahlin des Delwos, Herzogs von Delphi."

3) H. Leo Lehrbuch der Universalgeschichte. Halle. Bd. II. 1836. 8. p. 447.

4) Zur Geschichte Athens nach dem Verluste seiner Selbständigkeit von A. Ellissen. 1. Abhandl. Göttingen. 1848. 8.

5) Michael Akominatos etc. p. 32—36. not. 31.

6) J. Emerson the history of Modern Greece. London. 1830. 2 Voll. 8.

7) Id. Letters from the Aegean. London. 1829. 2 Voll. 8.

nici Moreotici quinque iam annis ante editi mentionem fecerit ullam, nimiae negligentiae videtur esse arguendus. Quod porro ad Athenas[1]) attinet, Ducangii tabulis genealogicis nimis fidei habuit et perperam in annotatione quadam (p. 148) Gibbonium vituperavit, qui unum tantum ducem Brennensem Athenis imperasse statuerit; quae enim ipse de tribus eius stirpis ducibus fabulatur, argumentis comprobari possunt nullis. Multo autem maiore cum sagacitate arteque critica scriptus videtur esse Finlayi[2]) liber recentissimus, quem etsi inspiciendi mihi nondum copia fuit, tamen ex duabus recensionibus in Athenaeo et Augustensibus ephemeridibus[3]) repertis coniicio, Finlayum imprimis constituendis principiis philosophicis operam dedisse fontibusque praeclare usum eleganti sermone res Graeciae universales descripsisse. Quum vero non Athenarum historiam seorsum scribere sibi proposuerit, novarum rerum vix quicquam eo ex opere proficisci puto.

Restat, ut de Fallmerayero V. Cl. pauca addam, qui, etsi Atheniensem historiam nullam edidit, tamen eam multis locis historiae suae Moreoticae attigit. Fallmerayeri nomen primum clarum evasit historia sua Trapezuntina[4]), quam academia regia Havniensis praemio ornavit. Panareti chronico[5]), tunc in bibliotheca Marciana latente, quod tamen postea

---

1) l. l. Tom. I. p. 143—158.

2) G. Finlay the history of Greece from its conquest by the Crusaders to its conquest by the Turks, and of the Empire of Trebizond. London. 1851. 8.

3) cf. The Athenaeum. 1851. N. 1243. p. 893—895 et: Allgemeine Zeitung. Augsburg. 1851. N. 330 et 365 (rec. Fallmerayer).

4) J. Ph. Fallmerayer Geschichte des Kaiserthums Trapezunt. München. 1827. 4.

5) Eustathii opuscula ed. Tafel. Francofurti a. M. 1832. 4. p. 362—373. Panaretus et Eugenicus, Trapezuntinae historiae scriptores.

Tafelius cum Eustathio suo vulgavit, praecipue est usus. Multa quidem postea ei in manus venerunt historiae Trapezuntinae documenta, quae in Commentationibus Academiae Monacensis imprimenda curavit et „orientalibus" suis „fragmentis" [1]) multifariam illustravit; permultae contra chartae eum fugerunt, praesertim quae ad commercium spectent; attamen laudandus est magnopere, quippe qui primus hanc historiam tractaverit, cuius ante eum vix nomen noverant scriptores historici. Deinde Moreae historiam [2]) scribendam suscepit, cuius priori volumini tamquam supplementum seu potius, ut graeco verbo utar, apologiam addidit dissertationem illam „de Attica a Slavis obsessa." Fontibus usus est praeter Ducangium praecipue Chronico illo Buchonii Moreotico et fragmentis quibusdam annalium Atheniensium, in Anargyrorum monasterio et penes Cyr. Pittakin Atheniensem, virum ornatissimum, conservatis. Quibus praecipue fragmentis nixus efficere studebat, omnia Graecorum veterum interiisse vestigia neque Graecos Hellenes, sed Slavo-Graecos et Albanos unicos in Graecia habitare. De qua eius opinione multa in utramque partem disputata sunt; attamen hic varias de ea virorum doctorum sententias proferre nolo, quum alio loco plura de Graecorum recentium origine dicere mihi proposuerim. Quodsi vero, quemadmodum fontibus suis sit usus ad illustrandas res Franco-Byzantinas, quaerimus, Chronicon illud Moreo-

---

1) cf. Abhandlungen der histor. Classe der bayr. Akademie. Bd. 3. Th. 3.: Original-Fragmente, Chroniken, Inschriften und andres Material zur Geschichte des Kaiserthums Trapezunt von J. Ph. Fallmerayer. 1. Abth. p. 1 sq. Fallmerayer Fragmente aus dem Orient. Stuttgart. 1845. 2 Voll. 8.

2) Fallmerayer Geschichte der Halbinsel Morea während des Mittelalters. München. 1830—1836. 2 Voll. 8.: „Welchen Einfluss hatten die Einfälle der Slaven auf Attika?" München. 1839. 8.

ticum unice secutus videtur, perpauca reliquorum fontium post Villeharduinum habita ratione; itaque eius historia, quod ad primum eius saeculum attinet, nil nisi „analysis“ quaedam, ut cum Buchonio loquar, accurata eiusdem Chronici habenda videtur esse. Chronologiam porro a Fallmerayero constitutam omnino falsam esse, novis Buchonii disquisitionibus demonstratum est; id quod tamen eidem viro cl. non tribuendum esse duco negligentiae, quum ad eam emendandam omni apparatu critico fuerit destitutus.

Itaque multas et varias res, ad Atheniensis ducatus historiam spectantes, variis nostrorum scriptorum locis reperiri, nemo non intelliget; sed etiamnunc universam eiusdem ducatus historiam nemo amplexus videtur esse. Quam quum equidem conscribere statuerim, hoc loco de eius fontibus disserere mihi proposui, ut, qui ad eam sint adhibendi scriptores, perspicue intelligeretur. Sed priusquam ipsis de fontibus agam, praefari libet perpauca de historia illa Atheniensi; quam quum in periodos quasdam diviserimus, de uniuscuiusque earum scriptoribus amplius disputabo.

Constantinopoli urbe a Venetis et crucesignatis capta, Peloponnesus et, quae media Graecia seu nostra aetate Livadia vocatur, Francogallis nobilibus subiecta est. Ex quibus Burgundio quidam, Otto de Rupe (de la Roche), „miraculo quodam“, ut Albericus [1]) scribit, fortasse deditione archiepiscopi voluntaria, Athenarum dominium nactus est, quod deinde, tamquam feudum principum Achaicorum, tenuere eius posteri. Prima illa gens Francogallica amplius saeculum tenuit Athenas. Ultimo duci Guidoni II. sine prole defuncto Gualterus ille Brennensis successit, ex matre nepos Guidonis I. ducis. Sed hunc fatum praematuro abstulit leto; victus etenim a Catelanis ad Cephissum flu-

---

1) Albericus ed. Leibnitz. p. 439.

vium occubuit, anno ducatus sui tertio. Itaque primam definimus periodum Francogallicam, qua quinque duces e gente Rupensi oriundi et Gualterus Brennensis Athenis imperitaverunt, eamque ab anno 1205 ad annum 1310 pertinentem. Gualteri posteri quum Argos quidem et Naupliam, quas urbes Guilelmus II. Achaiae princeps (1246—1277) Guidoni I. tamquam feudum anno 1247 concessit, retinuissent, ducum Atheniensium titulum tantum gestaverunt. Filius eius, Gualterus sextus Brennensis, Licii comes, quum paternum ducatum recuperare frustra saepius tentasset, Florentiam se contulit ad urbem regum Neapolitanorum nomine regundam. Sed sibi ipsi urbis dominium comparare conatus, expulsus in Galliam se contulit et fortiter proeliatus pugna illa Pictavensi anno 1356 occubuit. Tituli bonaque eius ad Enghini (Enghien) dominos sunt delata, deinde ad Lucemburgorum stirpem illam, quae Pineio dominabatur, denique in Francogallicorum regum ditionem sunt redacta. Sed iam centum ante annis Argos et Nauplia ab herede illa stirpis Enghinensis Maria, Petri Cornelii Veneti vidua, Venetis erant venditae (1388). Interim Athenis dominati sunt Catelani ab a. 1310 ad a. 1386, primum proprio duce constituto Rogerio Des-Laur Ruscinonensi, dein principibus e Siciliae regibus Tarraconensibus oriundis. Quum vero Catelanorum primores inter se ipsos discordarent, Raynerius I. Acciaiolus, qui a cognatis suis Corinthum, Vostitzam, Niveletum, alias Achaiae civitates hereditate et pignore acceperat, urbem anno 1386 occupavit et post octo annos Catelanorum, qui Atticum usque agrum tenebant, omnino victor evasit. Eodem anno, ducis titulo a Ladislao Andegavensi, Neapolis rege, insignitus, mortuus est. Tenuerunt post eum cognati eius, Florentia oriundi, per sexaginta duos annos Athenarum ducatum. Itaque tertia periodus Italica ab anno 1386 seu 1394 ad annum 1456 seu 1460 ducitur, quibus annis Athe-

nae et Thebae, ultimae ultimi ducis arces, a Turcis expugnatae sunt. Franciscus Acciaiolus, qui perpaucos tantum annos Athenas rexerat, a Sagano, Turcarum duce, iugulatus periit; vidua eius protovestiario Trapezuntino, patriae suae proditori, in matrimonium est data; de tribus filiis, Iacobo, Matthaeo, Gabriele, in Mohammeti II. imperatoris aula educatis, nil omnino memoriae est proditum. Gens Acciaiolorum, in Graecia dominantium, omnino fere exstincta est, quam gentem plebeiam Florentiae, Neapoli patriciam, in Graecia regiam evasisse Gibbonius [1]) ait. Ultima progenies Nerius quidam videtur fuisse, quem, fortasse e notho alicuius ducis filio oriundum, Pouquevillius [2]) Athenis vidit, nil curantem iura et privilegia maiorum nobilium, sed asinarii officio fungentem. — Hae sunt illae tres historiae nostrae Atheniensis aetates, de quarum fontibus sum dicturus. Fontes vero ipsos duobus generibus distinguendos esse existimo. Duabus enim rebus maxime illustrari historiam constat. Sunt scriptores historici, qui operibus suis res gestas memoriae tradiderunt et aut aequales fuerunt rerum a se narratarum aut posteri res maiorum exposuerunt. Maximi profecto pretii et momenti sunt illi, qui, Taciti similes, sine ira et studio suorum temporum res tradiderunt; sed quum hocce genus historiae perraro cultum sit, et medii aevi scriptores plerique chronicorum modo suos annales composuerint, saepissime, aequalium commentariis destituti, ad eos refugiemus, qui rebus narratis posteriores fuerunt, etsi ex his, quid sit integrum quidque fucatum, saepe summa cum industria vix discerni posse nemo ignorat. Certius tamen alterum genus est, quod ea, quae

---

1) Gibbon hist. of the decl. c. 62. T. XI. p. 160. . . . „the third dynasty was that of the Acciaioli, a family, plebeian at Florence, potent at Naples and sovereign in Greece.“

2) cf. Voyage etc. T. IV. p. 101.

proprie „monumenta“ vocantur, comprehendit. Sunt autem ista primum monumenta legalia, libri scilicet, quibus iura gentium continentur; deinde chartae et alia documenta principum, quae saepissime disquisitionibus et genealogicis et heraldicis sunt illustranda; denique monumenta aut lapidi aut aeri incisa. Atque in horum quidem numero, quod ad Athenas attinet, habendas censeo chartas ducum, quae exstant, epistolas a ducibus vel ab amicis eorum missas, quarum in Acciaiolorum archivio copia nobis suppeditat, »bullas« plurimas, quibus vel res ecclesiasticae et episcopales ordinantur, vel contra religionis ac civitatium perversores animadvertitur; cuius generis plurima exempla in Catelanicorum ducum historia nobis occurrunt. Itinerariorum quoque mentionem facere liceat, quae, nonnunquam gravissimi momenti, utrique generi annumerari possunt. Denique respiciendum erit ad medii aevi inscriptiones, perpaucas tantummodo Graecia tota superstites, et aedes a principibus Francis constructas, quarum fragmenta omnia fere in Buchonii „Atlante“ illo collecta et nitidissime delineata videas. Prius tamen illud genus fontium historiae Atheniensis tribus contineri ordinibus manifestum est. Quos ordines si ita definiverimus, ut tres illas linguas, quibus scriptores sunt usi, secernamus, Latinam scilicet reliquasque linguas occidentales, quae ab eadem sumunt originem, deinde Graecam linguam et virorum doctorum et hominum popularium, denique Turcicam illam: hicce brevis eorum prospectus efficietur:

I. Aetas Francogallica. 1205—1310.

A. Scriptores.

a) occidentales; scil. Latini, Francogallici, Catelanici.

b) Graeci, et Byzantini et populares.

B. Monumenta.

a) Leges, chartae, bullae.
b) Aedes, monetae, insignia.

II. Aetas Catelanica. 1310—1386.

A. Scriptores.

a) occidentales; scil. Latini, Francogallici, Catelanici, Hispanici, Italici.
b) Graeci utriusque generis.

B. Monumenta.

a) Chartae, bullae.
b) Monetae, insignia.
c) Mappa quaedam geographica.

III. Aetas Italica. 1386—1460.

A. Scriptores.

a) occidentales; scil. Latini, Hispanici, Italici.
b) Graeci Byzantini.
c) Turcici.

B. Monumenta.

a) Chartae, epistolae, bullae.
b) Aedes, insignia, genealogiae.
c) Itineraria, alia eiusdem generis.

Itaque ad id, de quo imprimis mihi proposui verba facere, progrediar atque de singulis uniuscuiusque et aetatis et generis fontibus deinceps dicturus sum.

I. Aetas Francogallica. 1205—1310.

A. Scriptores.

a) occidentales.

Si, quinam scripserint urbis captae historiam, contemplari volumus, ad eos praesertim respicere debemus, qui ipsi expeditioni affuerunt. In tanta enim scriptorum copia, qui urbis captae mentionem fecerunt, eos minime a vero aberrare statuemus, qui neque nimis sint creduli et temporibus narratis proximi fuerint. Quod vero ad occidentales illius expeditionis scriptores attinet, ad duos praecipue ani-

mos oportet adiicere, qui, si aliquot Balduini I. imperatoris et Hugonis, Sti. Pauli comitis, epistolas excipias, fontes genuini et fide dignissimi sunt iudicandi. Sunt autem Guntherus [1]), cuius historia Constantinopolitana apud Canisium exstat, et Godofredus ille Villeharduinus. Ac de Gunthero quidem, etsi multa et gravissima ad explanandam historiam illius expeditionis continet, tamen, quum Athenarum ne mentio quidem in eius libro fiat, tacere mihi liceat. Amplius vero et accuratius de Villeharduini libro, quippe qui, tamquam fundamentum historiae Franco-Byzantinae, principia imperii enarret, disseremus. De cuius vita quum iam Ducangius in prooemio editionis suae plurima exposuerit, a Buchonio denuo relata, non difficile est, nonnulla de ea disputare.

G o d o f r e d u s  V i l l e h a r d u i n u s natus est anno 1163 in arce maiorum suorum, in Campaniae comitatu sita. Oriundus erat gente nobilissima, de cuius splendore atque gloria plurima apud Ducangium et Buchonium invenies. Guilelmus, pater eius, Campaniae mariscallus (1143—1188) fuit, quo munere superius nullum fuisse constat, quoniam Campaniae comites (qui postea Navarrae regnum adepti sunt), »pares« erant »regni« Francogallici. Patre mortuo, Ioannes, minor natu filius, Villeharduini dominus evasit, qui, mortuus ante annum 1210, ex uxore Celenia Godofredum filium reliquit, Achaiae principem et Calamatae Arcadiaeque dominum. Cui quidem Godofredo, anno 1218 exstincto, in principatu posteros successisse scimus. Noster autem Godofredus, quem ut a nepote suo, Achaico illo Godofredo, discernerent, senioris nomine appellarunt scriptores, post patrem (1188) Campaniae mariscallus et

---

1) Guntheri, monachi Cisterc., historia Constantinopolitana in Canisii lectt. antiqq. Monachi. 1604. 4. T. V. p. 358 sq. 2 ed. Basnage. Antverp. 1725. fol. T. I. p. 2 sq.

Villiaci Lisinesiique dominus factus est. Qui quum iam in Gallia, Philippi Augusti regis auspiciis, famam esset adeptus militis fortis et nobilis, multo maiorem gloriam in Oriente sibi paravit. De cuius rebus in imperio Byzantino gestis librum ipsum eius inspicere licet. Cruciferorum sese cohortibus adiunxit; Venetiis et fortitudine et eloquentia excelluit, quumque in Constantinopoli capiunda haud parum valuisset eius animus generosus et intimidus, in terra modo occupata manere constituit. Mariscalli munus anno 1208 Oudardo de Alneto (d'Aunoy), affini, concessit, cuius cognati, Villanus [1]) et Guilelmus, in Graecia quoque haud exiguas tenuere possessiones. Ipse Romaniae mariscallus extitit, et plurimum auctoritate valuit apud principes exercitus Francogallici. Qui quum Balduinum I. imperatorem et Bonifacium illum Montisferratensem discordantes inter se reconciliasset, Serrarum et Mosynopolis, urbium Macedonicarum, dominio auctus est. Summa eius gloria toto Oriente fuit, donec anno 1213, ut videtur, mortuus est. Quid de feudis eius Graecis [2]) fuerit constitutum, prorsus ignoramus; in bonis Francogallicis Godofredus et Erardus filii successerunt. Cui Erardo (+ $12^{28}/_{31}$) quum Oudardus ille de Alneto anno 1223 mariscalli officium Campanensis tradidisset, patris iura honoresque recuperavit et ad posteros suos detulit. Villeharduini quidem arx postea Enghinensi illi Engelberto (c. 1307) vendita est; Lisinesium vero eius genus ad medium saeculum XIV^um tenuit, quo

---

1) Cpoli urbe a Palaeologo recuperata Villanum de Alneto dominum Arcadiae a Guilelmo II., Achaiae principe, constitutum esse docet *Βιβλ. τῆς Κογκ.* prolog. v. 1325—1327.

2) Utrum ad imperatorem devoluta sint, an gener eius, Anselmus de Meriaco, ei successerit, (cuius quidem filius Godofredus in charta quadam anni 1238 Romaniae dicitur comestabulus cf. Ducange. T. I. ch. 5. 6.), non liquet.

exstincto, Legerus Dintevillianus hereditate bona eius accepit.

Godofredus Villeharduinus urbis captae historiam et res imperatorum Balduini I. et Henrici scripsit; quum tamen anno 1207 desierit, enarrato bello Bulgarico et Bonifacii, Thessalonicensis regis, leto, nonnisi initia Henrici prodit. Villeharduini historia primum fere opus est, quo lingua vernacula res suorum popularium enarravit scriptor. Gravissimi momenti est, quum et ipsis rebus memoriae proditis interfuerit, et eas cum fide et veritatis studio exposuerit. Etsi multum abest a summis historiam scribendi generibus, „pragmatico“ scilicet et „philosophico“, tamen leviore commentariorum illo genere, quod „mémoires“ Francogalli, „ricordanza“ Itali appellant, excelluit. Non magna quidem ars cernitur in iis, neque imaginibus poeticis referti sunt, Francogallicorum nostri aevi scriptorum modo; attamen delectamur oratione eius simplici nec fucata. Tamquam Homerici illi dii et heroes, duces exercitus Francogallici nobis ante oculos obversantur, colloquentes inter se et de conatus sui magnitudine deliberantes. Ipse sese loquentem et agentem inducit, Caesarem imitatus, et cum modestia magnas res a se suisque gestas depingit, quibus Caroli et Alexandri expeditiones inferiores fuisse Raimbaldus ille Vaqueiras praedicat. Quem si cum Niceta, Graeco eiusdem rei scriptore, contulerimus, et, uter accommodatius ad naturam scripserit, interrogaverimus, Villeharduino certe nostro palma debebitur. Qui, quamvis neque ingenti floreat eruditione, et militem semper audire videamur: tamen vivus et iuvenilis, si verbo uti licet, sermo eius multo magis eum lectori commendat, quam Nicetae obscurum et copiosius dicendi genus. Omnino discrepat nativus eius vigor et pietas cum longis Graeci declamationibus et omni ista inconcinna amplitudine, quae intereuntium nationum scriptoribus propria videtur esse. Iuvenem quasi et senem cerni-

mus certantes, eiusdem rei prodere historiam; illum popularium suorum virtute gloriantem et Dei auxilio fretum; hunc patriae amore inflammatum, cuius infelices casus semper lugere videtur. Etsi vero Villeharduino suae nationis admiratio Graeculos istos homines despectu dignos demonstrat, tamen, humanitatis amicus et aequitatis, id, quod boni eis debetur, non respuit, sed quicunque illis perversis temporibus inter enervatos cives magni extitere, eos praedicat. Nihilominus, dum urbem captam nobis depingit, strages illas immanes saevasque caedes praeterit, quas et Nicetas et Chronista quidam Novogrodensis [1]), quem ex aequalium fontibus hausisse Karamsinus luculenter exposuit, summa cum moestitia enarrant. Reticuit certo eas, et quia ipse ab ista crudelitate maxime abhorrebat, et quia gloriam nationis suae Francogallicae, enarratis infimorum militum devastationibus, polluere nolebat. Francogallis ambitionem quandam insitam esse constat, quae eos sinat et praeterire res genti suae turpes ac noxias, et efferre saepenumero iusto nimis gloriam suae nationis. Num igitur hac ambitione omnino caruisse Villeharduinum putemus? Ignoscendum est ei, quod ista omiserit, quae turpare poterant et debebant universum crucesignatorum exercitum, etsi similia in urbe Hierosolyma capta commissa esse, infitiari nemo potest. Summi ergo procul dubio Villeharduinus aestimandus est, qui, a Guiarto illo [2]) laudibus elatus, iam pridem doctorum Francogallorum animos oblectavit et etiamnum ob dicendi genus purum sermonisque integram simplicitatem laude dignus videtur esse. Prima eius editio

1) cf. Novogorodskij Lietopisetz p. 435 — 444 in: Prodolschenie drewnej rossiiskoj Bibliofiki. T. II. St. Petersburg. 1786. 8. et Karamsin Geschichte des russischen Reichs, übersetzt ins Deutsche. Riga. 1823. 8. T. III. p. 281.

2) cf. Guill. Guiart branche des royaux lignages, publ. par Buchon. Paris. 1828. T. I. p. 124. v. 2755—2758.

Venetiis anno 1573 parabatur, sed eadem statim oppressa, primus eum Blasius Vigenerius Parisiis anno 1585 vulgavit, distinctum in novem libros, et, quo facilius priscus saeculi decimi tertii sermo intelligeretur, nova versione Francogallica auctum. E meliore codice mso. Veneto quum Lugduni anno 1601, in CCLVII. „sectiones" divisus, in lucem prodiisset: Ducangius animum ad eum advertit et nova editione eum ornare sibi proposuit, additis simul Petri Pithoei notis mssis. E codice quodam bibliothecae Parisiensis Regiae Ducangius anno 1657 novam eius editionem paravit, quae, quasi supplementum, „Corpori" illi „Scriptorum Historiae Byzantinae" adhaeret. Praefatus nonnulla de Villeharduini et vita et genere, commentarios eius, nova versione Francogallica illustratos et multifariam emendatos ante oculos ponit nostros. Quum enim sermo ille vetus Francogallicus valde discrepet cum recentiore, Ducangius eam versionem ad intelligendum Villeharduinum necessariam existimavit. Permultas etiam notas suas, maximam partem et historiam et genealogias illustrantes et partim e mssis. ineditis haustas, adiecit, quas in Buchonii editionibus omnes fere omissas esse dolemus. Post Ducangium per centum sexaginta annos nova Villeharduini editio vulgata est nulla, si istam excipias, quam e Ducangii recensione cumque eiusdem viri cl. notis in altera editione illa Scriptorum Byzantinorum Veneta reperimus. Nostro saeculo primus Dom. Brial in continuatione illa collectionis Scriptorum Francogallicorum a Bouquetio institutae [1]) et Villeharduinum et, qui eius commentarios continuavit, Valentianensem illum Henricum e duobus bibliothecae Regiae mssis. denuo edidit, additis nonnullis Francogallicorum procerum epistolis. Quem secutus Buchonius duas Villeharduini edi-

1) Scriptores rer. Francogallicarum. T. XVIII. ed. Dom Brial. Paris. 1823. fol. p. 431—449.

tiones [1]) ad eorundem codd. mssor. (n. 7974 (Supplém. 207) et n. 2096 (9644)) fidem paravit; quarum prima, „Chronicis Francogallicis", ab eodem vulgatis, inserta, non valde a Ducangio differt, etsi multis locis orthographiam emendavit et codicibus praestantioribus usus est. Adiecit ei praeter nonnulla e Byzantinis scriptoribus excerpta aliaque fragmenta, Villeharduinum illustrantia, Chronicon breve anonymi cuiusdam, Valentianensi dialecto (»en langue Rouchy«) scriptum, quod de expeditionis primordiis nonnulla a Villeharduino non relata continet, et ab aequali spectatore compositum videtur. Quo in Chronico quum ne mentio quidem Athenarum nec primi urbis domini Ottonis fiat, nil amplius hic de eo dicendum esse duximus. Denuo eum Buchonius vulgavit in libro illo supra commemorato: „Recherches et matériaux etc." Nihil quidem nisi textum veterem Francogallicum edidit, sed quum duos illos codd. mssos. valde inter se discrepare vidisset, eum bis ex utroque codice edidit, adiectis perpaucis, quae textum illustrarent, annotationibus. Attamen haec editio praestantissima est, quum et perlegenti utrumque codicem inspicere liceat, et epistolas illas comitis Sti. Pauli et Balduini imperatoris de urbe capta missas in notis inveniamus. Ac nonnulla quidem neque levioris momenti de Athenarum domino, Ottone, reperimus in Villeharduini libro; quem et urbem Constantinopolim cum suis adorientem nobis demonstrat [2]) et Bonifacii Montisferratensis amicum et familiarem ait [3]), in cuius comitatu eum saepe videmus versantem. Quomodo autem Athenis sit potitus, omnino reticet, et de Peloponneso Livadiaque occupatis vix litteram

---

1) Chronique de Geoffroy de Villehardouin, publiée par Buchon. Paris. 1828. 8. et 1840. 8.

2) l. l. ed. II. Buchon. p. 67.

3) l. l. p. 111 et 157.

nobis relinquit. Nihilominus, quod ad primas attinet res, a Francorum exercitu in imperio Byzantino gestas, Villeharduinum praecipue sequemur ducem; quem nostro tempore plurimi aestimatum esse, permultae eius editiones, post Buchonium in Francogallia a Petitotio, Paul. Parisio, aliis [1]) paratae, testes sunt.

Sed transeamus ad eos, qui Villeharduinum continuarunt; ac primum quidem de Muskesio illo pauca faciamus verba.

Philippum Muskesium [2]) (Mouskés), clericum Gandavensem, variis ecclesiasticis muneribus functum, anno 1278 ad Tornaci episcopatum evectum et anno 1282 mortuum esse, post Duchesnium omnes fere scriptores, ne Ducangio quidem excepto, tradiderunt. Sed si Jacobi Meyeri Annales Flandriae inspicimus, Philippus ille Tornacensis episcopus cognomine „Mus", non „Mouskés" appellatur. Id quod Mortierum [3]) movit, ut rei accuratius explorandae operam daret; quem secutus in suae editionis appendice Reiffenbergius V. Cl. aperte et luculenter demonstravit [4]), hunc Philippum Muskesium, filium Iulianae Musketae (et fortasse Gerardi Muskesii, Leuciae castellani,) Tornacensem neque episcopum neque clericum unquam fuisse, sed nobilem civem, neque amores neque carmina spernentem,

---

1) Petitot Collection complète de mémoires relatifs à l'histoire de France etc. T. I. Paris. 1819. Exstat Italica Villeharduini versio Parisiis in Cod. Bibl. de l'Arsenal nº. 46. cf. A. Marsand I Manoscritti italiani etc. Parigi. 1835—1838. T. II. p. 305.

2) Chronique de Philippe Mouskés ed. Reiffenberg. Bruxelles. 1836—1838. 2 Voll. 4. et Supplément. ib. 1845. 4.

3) Bulletins de la Commission royale d'histoire. T. IX. pagg. 112—145.

4) cf. Chartas archivii Tornacensis, a Reiff. adiectas, praesertim documentum quoddam anni 1236.

sive, ut cum Reiffenbergio loquar, »un joyeux trouvère portant la cape et l'épée.“ [1]) Qui etsi de Constantinopolis imperio agere sibi non proposuit neque Villeharduinum continuare voluit, tamen, quum in chronico eius poetico regum Francogallicorum permulta ad res imperii Franco-Byzantini pertinentia reperiantur, a Ducangio et Buchonio, tamquam Villeharduini supplementum, editus est. Quum vero illi nil, nisi quae de Constantinopolitani imperii historia memoriae prodidit, recepissent, universum opus in bibliothecis msum. latuit, donec annis 1836 – 38, curante Reiffenbergio (quem ante hos tres annos nobis ereptum dolemus), prima et integra eius editio in lucem emissa est. Qui etsi summi momenti est, quippe qui aequalis huic tempori vixerit; tamen quum de Athenis taceat, de eius ingenio et fide hoc loco disputare supervacaneum videtur esse. Multo tamen plus attentionis tribuendum videtur Henrico Valentianensi (Henry de Valenciennes). Quis fuerit Henricus ille, non liquet; etsi eum iam saeculo XVII° notum fuisse scimus. Etenim Petrus Ultremannus ille quem anonymum scriptorem in Henrici imperatoris rebus enarrandis adhibuit, is noster est Henricus Valentianensis, cuius fortasse codex aliquis ad manus ei aderat; id quod manifestum erit, si excerpta illa Ultremanniana cum Henrici nostri libro contulerimus. Sunt autem, qui Henricum illum imperatorem Constantinopolis fuisse perhibent; in quorum numero Daunou ducendus est. Eum, Caesaris more, res a se gestas litteris mandasse volunt et, quum aliquot eius exstent epistolae Latino ore scriptae, hasce eum quasi supplementum huic historiae suae adiecisse. Sed dubitare licet iure, num revera Henricus imperator Villeharduinum sibi aequalem continuaverit. Ibi enim, quo Villeharduinus desiit, Henrici nostri opus sumit initium. Erant hi duo arcto amicitiae vin-

1) l. l. p. 7.

culo inter se coniuncti, et Henricum imperatorem Villehar-duini, cuius tribus tantummodo annis superstes fuit, librum supplere conatum esse, sane mihi dubium videtur, conside-ranti, eo anno 1210, quo Henricus commentarios suos re-degit, vixisse adhuc Villeharduinum. Porro si Henricus noster imperator fuisset, cur Valentianensis cognomen as-sumpsit? Etsi enim Valentia urbs quasi caput fuit Hanno-niae, et Henricum imperatorem aeque ac Balduinum fra-trem ibi natum fuisse constat, tamen Henricum nusquam Valentianensem appellatum esse videmus, sed quicunque eius mentionem fecerunt scriptores, Angrensem[1]) (— nomen ab Angra, Hannoniae oppido, derivatum, postea in Andega-vensem immutatum —; qui error in omnia fere nostri aevi opuscula historica irrepsit) eum nominarunt. Immo vero rebus a se descriptis affuisse Henricum illum, neminem fu-giet, quicunque, quacum diligentia et studio liber eius scri-ptus sit, accuratius erit contemplatus. Fuit fortassis cle-ricus aliquis, e nobili gente Valencenensi (cuius gentis non-nullos milites indicant Gislebertus et chartae Namurcenses[2]) etc. a Reiffenbergio editae), qui imperatorem in expeditio-nibus suis comitabatur. Neque tamen „chronistarum“ ge-

1) cf. Vinchant Annales d'Haynau. Mons. 1648. fol. lib. IV. cap. 28. p. 296. „Henry d'Angre“; Mouskés. v. 20466: „Henris d'Angho, fais empererès“; quo e nomine error derivandus videtur; nil enim in Andegavensi illo comitatu auctoritatis eum exercuisse, Gisleberti Chronicon (ed. du Chasteler. Bruxelles. 1784. 4.) docet, quum ita de eius hereditate loquatur p. 287: „mille libratas terrae in feodo ligio dedit, de quibus DC libratas in Flandriâ et CCCC libratas in Hannoniâ assignavit.“

2) cf. Ioannes miles in chartis d. d. 1182, 1250, 1298, 1301; Pe-trus 1307, 1325; in Reiff. Monuments du Hainault, Namur etc. Bruxelles. 1844. T. IV. index nom. et: Ywanus de Valencenis († 1191) et Balduinus de Valencenis, consiliarius Balduini V. comitis; in Gisleberti Chronico pgg. 232 et 284.

neri isti adnumerandus est Henricus noster; sed Villeharduinum imitatus esse videtur, cui neutiquam eum posthabendum esse manifestum est. Sunt vero, qui dubitarint, utrum hic Henrici liber fide dignus sit, an multa vel pleraque ficta et fabulosa eo contineantur, quum eximia quadam et admirabili diligentia usus, ne minima quidem, quae ei alicuius momenti esse videantur, reticeat. Itaque librum eius non ad historiae fidem scriptum putarunt, sed magis ad oblectandos eos, qui eum perlegerent. Quorum opinio omnino falsa mihi quidem videtur esse; etenim si aequalem rerum enarratarum spectatorem eum fuisse statuerimus, eiusque historiam cum reliquis earundem rerum scriptoribus contulerimus, ut cum Acropolita et Innocentii III. epistolis, nimia fere eius diligentia et copia non movebimur, ut de fide eius dubitemus. Scripsit autem Henrici imperatoris res ab a. 1207 ad a. 1210 et summa cum subtilitate res illas exposuit, quae post Bonifacii Montisferratensis praematurum obitum in perturbato Thessalonicae regno acciderunt. Quum enim successor eius, Demetrius, minor natu filius, Graeca matre progenitus, infans esset, Obertus Crassus Blandratae comes (de Biandrate), regni vicarius sive »baiulus«, contra imperatorem seditionem movit, qua, coniunctus cum Italicis nonnullis Thessaliae proceribus, regnum Thessalonicae Guilelmo marchioni, maiori Demetrii fratri, conciliaret. At ipse et socii, ab Henrico devicti, destiterunt de incepta proditione et in concione illa Ravennicensi in deditionem sunt recepti. Qui quum multis locis Thebarum, quae urbs Ottoni, Athenarum domino, subdita a »Lombardis« istis oppugnabatur, mentionem faciat [1]), post Villeharduinum princeps historiae huius Atheniensis fons est existimandus. Cuius commentarios, a Brialio [2])

1) l. l. ed. II. Buch. 205—208 et 294—296.

2) Scriptor. rer. francog. T. XVIII. p. 492—514. cf. Buchonii ed. pr. Villeh. p. 256 sq. ed. alt. Paris. 1840. 8.

primum editos, Buchonius »critica«, ut aiunt, editione ornavit. Ad calcem enim alterius Villeharduini editionis ex duobus codd. supra notatis bis eum edidit anno 1840. Ex quibus duabus recensionibus altera alteri supplemento esse potest; itaque nonnisi e secundo illo cod. mso. nomen dicti comitis Blandratae genuinum restitui potest; quem quum in altero cod.[1]) vulgo »li cuens Gras« appellatum esse videamus, quamobrem Gerardi ei nomen fuisse Buchonius suspicatus est, in alterius loco quodam[2]) „Hubiers" dicitur; quem Oberti nomine, tamquem Blandratae comitem, et in Honorii III. epistolis et in Gioffredii illa Alpium maritimarum historia[3]) praestantissima vocatum esse vidimus. Sed haec hactenus de Henrico nostro Valentianensi.

Iam vero reliquum est, ut de Anonymo quodam verba faciam, quem, utpote qui Villeharduinum continuaverit, Ducangius et Buchonius suis eiusdem scriptoris editionibus adiecerunt[4]). Sunt autem commentarii eius brevissimi Latina lingua scripti, quibus quum extrema imperii Franco-Byzantini tempora illustrat, tum, Balduini II. fuga narrata, Athenarum mentionem facit; qua in urbe apud Guidonem II. ducem commoratus idem imperator Ottoni de Ciconio, Carysti domino, privilegium quoddam concessisse fertur[5]) (a. d. XI. Kal. Novbr. 1261). Neque vero hoc opusculum aequali alicui deberi videtur, quum in exordio auctor eius se „librum conquistûs imperii Romaniae" legisse con-

---

1) l. l. p. 256. „uns cuens de Lombardie qui avoit à non li cuens Gerars."

2) l. l. p. 285. „et Hubiers li cuens des Blans-Dras."

3) cf. Raynaldi ad a. 1224 et Gioffredi Storia delle Alpe maritime. Torino. 1839. fol. (Monumentorum patriae. Tom. IV.) p. 429.

4) Villeh. ed. Ducange (1657). p. 230 sq.; ed. Buchon. p. 9—11. (ed. 1840.)

5) cf. Ducange histoire etc. Ed. II. par Buchon. T. I. p. 366.

fiteatur. Qui liber quum medio saeculo XIV° ut infra exponam, compositus sit, hunc Anonymum eius scriptore posteriorem fuisse manifestum est, itaque medio vel exeunti saeculo XIV° haec continuatio tribuenda est. Duo porro fragmenta de eadem expeditione sacra fatisque imperii Franco-Byzantini anno 1845 Buchonius primus cum libro illo conquistûs edidit, vetere illa lingua Francogallica scripta, e codd. mss. Bibl. Regiae (Fonds St. Germain 84. fol. 320. v. sqq. et Fonds Cangé. 9 n. 7188⁵, fol 61 sqq). Alterum fragmentum brevissimum [1]) in Balduini Aveniensis libris repertum, res Petri et Roberti imperatorum depingit, alterum [2]) ab Anonymo quodam conscriptum, qui tamen rebus a se enarratis aequalis et multum versatus fuisse in Oriente [3]) videtur, primordia expeditionis et res ab imperatoribus quattuor primis gestas prodit. Utrumque tamen fragmentum etsi ei, qui imperii Constantinopolitani historiam tradere velit, non parvi sit aestimandum, tamen de altero codice mihi plura non esse dicenda puto, alter autem, quo illi Balduini Aveniensis libri [4]) (saeculo XIV° scripti) continentur, multum lucis Athenarum et praecipue Thebarum historiae affert. Thebis enim sive potius „medietati partis Thebarum", ut in Diplomate quodam Neapolitano [5]) scriptum est, praeerant Falcobergenses domini, Sancti Adomari (St. Omer) castellani, (qui etiam in terra sancta Tiberiadis

---

1) cf. l. l. Appendice. II. p. 505—508.

2) cf. l. l. Appendice. I. p. 479—505.

3) Describit (fol. 11. v. sqq.) regnum Hierosolymitanum tam accurate et ipsam urbem, qualis suo tempore („à no tans" fol. 80. v.) fuerit (fol. 35. v. sq.) tanta cum diligentia, ut, ipsum in Syria versatum fuisse, neminem fugere possit.

4) Chronicon Balduini Aveniensis cum notis I. le Roy. Antverpiae. 1693. fol.

5) d. d. Tarascone die XV° septembris V° indict. 1293. Reg. Palazz. Capuan. 1291. 1292. A. fol. 1.

principatum tenuerunt), cum Rupensi illa familia affinitate coniuncti, et Balduini illius Aveniensis consanguinei [1]). Quorum Thebarumprincipum genealogiae, a Balduino Latina lingua scriptae eodem codice[2]) continentur, in linguam Francogallicam translatae et a Buchonio (Epoque I. T. II. pg. 498—500) excerptae. Quas si cum iis, quae reperimus in Libro illo conquistûs et in Graeco illo Chronico Moreotico, contulerimus, et quo iure Thebas tenuerint et qualis illorum dominorum fuerit successio, luculenter apparebit. Quibus fontibus usus Buchonius quoque tabulam genealogicam Falcobergensis familiae composuit, quam in eodem libro eius (pag. 503) invenimus.

Sed transeamus ad reliquos huius primae aetatis Francogallicae fontes. Atque de Catelanico illo scriptore Muntanero et iisdem, qui eum ducem secuti sunt, in secundae aetatis fontibus exponendis agere mihi liceat, quum et de hac et de illa, quam Catelanicam appellavimus, multa memoratu digna prodiderit; de Venetae autem reipublicae scriptoribus, qui multis locis Athenarum mentionem faciunt, in fine dissertationis meae disputabo, quum de tribus illis Atheniensis historiae aetatibus multa et ex optimis fontibus hausta in iis reperiantur. Itaque reliquum est, ut de Alberico deque Anonymo illo scriptore dicamus, cui „Liber conquistûs" debetur.

Albericus vulgo Trium fontium (Troisfontaines, Tribeck), monasterii in Belgio siti, monachus fuisse perhibetur. De cuius Chronico, quod a variis scriptoribus esse compositum quidam viri doctissimi existimabant, permulta sunt disputata, donec nostra aetate Robertus Wilmans [3])

---

1) Idam enim, Nicolai Aveniensis filiam, Guilelmo Falcobergensi nuptam fuisse, Balduinus idem testis est. l. l. fol. 108. v.

2) fol. 108. v. — 109. r.

3) cf. Pertz Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichts-

v. orn. id unici auctoris esse demonstravit. Erat autem Albericus, ut Wilmans quodam chronici illius loco [1]) comprobavit, monachus S. Augustini ordini addictus, qui medio saeculo XIII° in claustro „Novi Monasterii Hoiensis" (Neuf Moustier de Huy), quod in Leodiensi provincia situm esse scimus, vixit et Chronicon illud, quo praesertim dioeceseos suae res tractat, conscripsit. Eius tamen dicendi genus omnino ab illis Villeharduini et Valentianensis commentariis discrepat, quum neque ipse rerum a se narratarum spectator extiterit neque quicquam, nisi breve Chronicon ex fontibus, qui ei forte aderant, contexere studuerit. Itaque praeter alios Luitprando, Sigeberto Gemblacensi, Hugone Floriacensi, Guilelmo Maldunensi, Ottone Frisingensi, Guidone de Bazochiis, Chronicis Sti. Dionysii se usum esse fatetur. Quod vero ad res Franco-Byzantinas attinet, quum de aliis imperii Constantinopolitani rebus multa prodidit, quae aliis locis frustra quaeras, tum solus Athenas ab Ottone illo Rupensi receptas esse refert [2]) (ad a. 1205). Eundem Ottonem crucesignatorum exercitui sese adiungentem ante oculos ponit [3]) (ad a. 1202), et successoris eius, Guidonis I., semel mentionem facit [4]) (ad a. 1236), dum de archiepiscopatibus Graecis Romanae ecclesiae subditis agit. Quibus in rebus describendis fontes videntur ei affuisse et Balduini I. regis epistolae et ea, quae audiendo acceperat ab iis, qui Graeciam visitaverant; de quorum fide dubitare, sane superfluum est, quum et aliis confirmentur

---

kunde. Hannover. 1851. 8. Tom. X. p. 174—246. R. Wilmans Ueber die Chronik Alberich's.

1) „claustrum nostrum Novi Monasterii." cf. ad a. 1236 et 1237. ed. Leibn. p. 557 et 561.

2) l. l. p. 439.

3) l. l. p. 424.

4) l. l. p. 558.

aequalium testimoniis et Alberici aetate ista acciderint, et in aliis rebus, quibus affuit, veracem sese et sincerum praebeat. Alberici Chronicon a Leibnitio [1]) editum est, qui tamen eum Trium fontium monachum finxit; quam editionem etiamsi alias non contemnendam, tamen multifariam emendandam esse et notis tam criticis quam historiam explicantibus egere neminem fugiet.

Multo vero maioris pretii, vel immo princeps huius aetatis fons existimandus est „Liber conquistûs imperii Romaniae,“ sive, ut in Buchonii editione inscribitur, „Le Livre de la conqueste de Costantinople et de l'empire de Romanie et dou pays de la Princée de la Morée.“ De quo opusculo gravissimo plura mihi dicenda sunt; itaque primum de nomine et testimoniis, deinde de codice et editione, tum de tempore, quo scriptum sit, agam; postea de iis, quae eo continentur, verba faciam; denique, quid novi de Athenarum historia inde hauriri possit, exponam.

Vox autem illa „conquistus“, seu, ut Graeci recentiores aiunt, „*κουγκέστα*,“ tota antiquitate inusitata erat et scriptores demum medii aevi Latini Graecique Francogallico illo „conqueste“ eam aptasse videntur; idem enim, quod illud significat, sc. „expugnationem“, valet hoc verbum. Quo nomine inscripta duo opuscula nobis nota sunt; quorum alterum ad Palaestinam, alterum ad Graeciam spectat. Illud duobus locis [2]) laudatum videmus, et in libro illo

---

1) Alberici Monachi Trium fontium Chronicon ed. G. Leibnitius. Lipsiae. 1698. 4.

2) „Le roi Haimeris, de qui nous trouvons au Livre dou Conquest.“ Assis. Hierosol. cap. 213. et Chron. Mor. prolog. v. 91—92.

*καθῶς ἐγγράφως ηὕραμεν λεπτῶς εἰς τὸ Βιβλίον*
*τῆς Κουγκέστας ὁποῦ ἔγεινε ἐτότες ς̓ τὴν Συρίαν.*

cf. not. Buchon. p. 5. n. 2. et Livre de la Conqu. p. 2: „selonc ce

consuetudinum regni Hierosolymitani et in prooemio Chronici illius Moreotici. Attamen iam Buchonius, annotatione ad hunc librum addita quadam, Guilelmi Tyrii illius historiam hoc nomine designatam esse putavit, quaeque ex isto Libro conquistûs in hoc Chronico excerpta inveniuntur, omnino cum Tyrio consentiunt, itaque facere non possumus, quin Buchonii opinioni illi assentiamur. Sed aliud prorsus opus est liber ille »conquistûs imperii Romaniae.« Cuius libri ter mentionem fieri scimus. Atque primum quidem Anonymus ille, quem, tamquam appendicem, Villeharduino adiectum vidimus, hoc indicavit [1]) opus, quod »librum conquistûs imperii Romaniae« nominavit. Deinde Ioannes ille Villanius, dum de Balduini II. fatis loquitur, ei, qui amplius ea cognoscere velit, hunc librum nostrum legendum commendat [2]). Denique in »Libro« illo »consuetudinum imperii Romaniae«, quem, ad Venetorum Euboeae imperantium usum in Italicam linguam versum, Cancianius edidit, eadem fere de Balduino secundo dicta reperimus [3]).

Quibus testimoniis ductus, Buchonius summam dedit operam, ut librum illum, quem Chronici illius Moreotici a se editi iure fontem esse putabat, reperiret. Ad quem adipiscendum in Graecia Pursi monasterium, apud Vrachorium in Acarnania situm, adiisse se scribit [4]), sed nil, nisi Phrantzis codicem mediocrem, invenit; quumque iam de

---

que la grant estoire dou réaulme de Jherusalem nous raconte et tesmoigne“.

1) Anonym. Villeh. continuat. p. 230. (Ducg. ed.) „Cum in libro conquistûs imperii Romanie in parte precedenti sit scriptum etc.“

2) G. Villani lib. V. c. 28. „legga il Libro del Conquisto d'Oltramare.“

3) Liber consuetudinum ed. Canciani. p. 499. prolog. „come in lo Libro della Conquista apertamente si declara.“

4) cf. La Grèce continentale etc. pagg. 318, 357—358.

eo libro reperiendo desperaret, catalogum Bibliothecae Burgundicae, a Marchalio V. Cl. optime institutum [1]), inspexit, et, quem frustra tota Graecia quaesiverat, eundem librum Bruxellis nactus est. Continetur autem codice mss. n. 15702 (van Hulthem. 226), qui, saeculo XV° scriptus, ab Andrea Francisco Iaerensio quondam possessus, deinde Hulthemii bibliothecae insertus est; qui liber inscribitur: „De la conqueste de la Morée.“ Etsi folia 35—36; 62—63 omnino desiderantur et in foliis 84, 86, 178, 179 aliquot lacunae reperiuntur, tamen illa intercidisse non nimis dolendum est, quum aut Chronico illo Moreotico suppleantur lacunae istae aut nihili aestimandae sint. Qui liber quemadmodum in Belgium fuerit translatus, cognoscere, non difficile est, siquidem recordamur, plurimos milites Belgicos crucesignatis sese adiunxisse et, agris honoribusque auctos, in Graecia remansisse una cum imperatore illo Balduino, Flandriae comite; quos etiam post urbem amissam, cum affinibus suis, qui in patria remanserant, familiariter esse versatos, Florentii illius Hannoniensis, Achaiae principis, exemplo docetur. Hunc igitur codicem Buchonius anno 1845 in lucem protulit [2]), neque tamen quicquam in ea editione mutavit; quin etiam orthographiam codicis valde inconstantem et quasi fluctuantem retinuit, quum, hoc unico codice nixus, eam emendare non auderet. Et recte mihi videtur fecisse, quod, qualis erat codex, talem eum imprimendum curavit. Quam editionem et praefatione doctissima

1) Inventaire des mss. de l'ancienne bibliothèque royale des ducs de Bourgogne, publié par Marchal. Bruxelles. 1839 sqq. 3 Voll. fol.

2) Le livre de la Conqueste de la Princée de la Morée, publié pour la première fois d'après un ms. de la bibliothèque des ducs de Bourgogne à Bruxelles, avec notes et éclaircissements, par Buchon. Paris. 1845. 8. (Recherches historiques etc. I. Epoque. Tome I.)

ornavit et multis ac praeclaris notis chartisque ex archiviis et Veneto et Montensi sumptis illustravit; itaque unica illa et princeps editio — quam perraro in bibliothecis nostris inveniri dolendum est — summi habenda est. Sed ad librum ipsum transeamus et, quo tempore scriptus sit, definire studeamus. Qua in re investiganda, ad duos praecipue ipsius libri locos respiciendum est, quorum alter in prologo, alter in titulo libri nostri invenitur. Legimus enim in prologo [1]), Carolum Valesium genuisse dominam illam magnificam, „quae nunc se appellet Imperatricem quaeque uxor viri magnifici et nobilis, domini Philippi Tarentini, fuerit." Carolo autem Valesio et Catharina Cortiniacensi, — quae Balduini II. neptis fuit et heres imperii Constantinopolitani, — Catharina filia anno 1301 genita est, quae matri in iure anno 1308 successit et Philippo Andegavensi, Tarenti principi, nupta (1313), mense octobri anni 1346 obiit, coniugi quattuordecim annis superstes. Quum igitur suo tempore Catharinam hanc vixisse adhuc, libri nostri scriptor profiteatur, in tabula vero chronologica illa, quam ei adiecit, Philippum eius coniugem anno 1332 mortuum esse dicat [2]), id quod omnes rerum Neapolitanarum scriptores confirmant; quumque tabula illa ultra annum 1333 ducta non sit: iure, librum illum inter annum 1333 et annum 1346 scriptum esse iudicabimus; id quod altero illo loco comprobari videmus. Dicitur [3]) enim liber repertus esse in codice quodam, qui „fuerat nobilis viri,

---

1) l. l. p. 28—29: „de la quelle yssi la très excellente dame qui ores s'appelle empereys, et fu feme dou très excellent et noble home, messire Phelippe de Tharente."

2) ann. 1332 . . . „après la mort dou prince de Tharante." l. l. p. 477. cf. Raynaldi Annal. ad a. 1332. n. 18.

3) „qui fu trovée en un livre qui fu jadis del noble baron messire Bartholomée Guys, le grant connestable, lequel livre il avoit en son chastel d'Estives." l. l. p. 1.

Bartholomaei Guys et in Thebano eius castello servatus erat." Thebis [1]) igitur castellum sive palatium possedisse videtur Bartholomaeus ille; sed quisnam fuerit hic vir egregius, quem comestabuli titulo ornatum videmus esse, quaerendum est. In ipso libro saepius familiae illius „Guys" [2]) mentio sit. Georgius, cuius pater, Bartholomaeus ille senex („le veillart"), anno 1296 superstes fuisse dicitur, Calamatae capitaneus erat et, ducta Guidonis Tremoliensis filia, Chalandritzae dominus evasit; quem, a Rogerio illo „de Luria" [3]) anno 1296 captum, grandi pecunia libertatem recuperasse, idem liber testatur [4]). Huius filius fuisse videtur noster hic Bartholomaeus, magnus comestabulus, quem anno 1320 a Graecis captum esse tabula illa chronologica declarat [5]). Nicolaus porro Guisius [6]) ille, cui „Magri" cognomen in diplomate quodam inditum est, et comestabuli munere functus est et multas in Achaia prope Calamatam et Corinthum tenuit possessiones, quas Robertus, Neapolis rex, post eius obitum Nicolao illo Acciaiolo confirmavit (a. d. VI. Kal. Aug. 1342). Hunc familia illa

---

1) De voce „Estives" = Thebae cf. l. l. p. 91, 108 etc. et Chron. Mor. v. 1568, 1918. „εἰς τὴν Θήβαν" et Archiv. Montens. ann. 1308 coté j. 68. „Estives en Romanie" Simili modo Coi insulae nomen et Lemni et Constantinopolis et Athenarum mutilatum est in: Stinco, Stalimene, Stambul, Setines.

2) l. l. p. 364 et 370.

3) cf. de vita eiusdem Rogerii, qui in testamento suo se ipsum de „Luria", non „de Loria" appellavit: Vidas de Españoles celebres por D. M. Jos. Quintana. Paris. 1845. 8. Parte I. p. 35—70; testamentum eiusdem ibid. p. 69—70.

4) l. l. p. 375.

5) l. l. p. 477.

6) cf. Dipl. Florentin. nº. 15. ap. Buch. Rech. hist. Ep. II. T. II.: „Nicolai Guisii Magri comestabuli." Forsitan idem est, qui in Nicolai Acciaioli testamento „Magnus Comes" dicitur. cf. Buch. Rech. hist. Ep. I. T. II. p. 398.

celeberrima „de Guise“ oriundum fuisse, Buchonius putavit [1]); at si reliqua, quae de huius nominis viris exstant testimonia cum his contulerimus, erroris haud difficile convincetur. Erat enim gens Ghisiorum [2]) — quam in catalogo quodam familiarum nobilium Venetarum, Sanuti Chronico praefixo, „Gezi di Soria“ appellatam videmus — Venetorum nobilium ordinibus adscripta; qua gente orti Andreas et Ieremias fratres, Marci filii, Tenum, Myconum, Ceam, Scyrum, Scopelum, Sciathum expugnarunt (1207). Quam gentem in Euboea et Peloponneso potentissimam fuisse scimus; attamen quomodo Thebarum domini evaserint, nescimus, quum Falcobergensi illi generi in urbis dominio Catelanos successisse constet. Fit vero mentio eiusdem Bartholomaei annis 1328 et 1344 [3]); quos annos si cum illa supra constituta chronologia contulerimus, eos omnino consentire perspicue intelligetur.

Iam vero ad auctorem libri transeamus deque eius ingenio disputemus. Nomen eius omnino incognitum est, neque ex libro ipso neque ex iis testimoniis, quae de eo supersunt, quicquam nobis de eo coniicere licet. In Graecia autem hunc librum scriptum esse, manifestum est; sed Graeco alicui homini eum originem debere, nemo dicet, qui accurate eum perlegerit. Ipse enim Francogallica origine sua gloriatur, quum saepissime Francogallorum nationem suam esse fateatur [4]) („nos François, nostre françoise gent“), et Graecos istos ignavos et perfidos contemnere videatur.

---

1) La Grèce continentale. p. 550.

2) Cuius gentis genealogiam, quantum fieri potuit, ex fontibus mihi apertis dabo in appendice huius dissertationis prima.

3) cf. Cicogna Inscrizioni venete. T. V. p. 190. et Declaratio iurium regis Maioricarum apud Ducang. T. II. p. 377. cf. l. l. p. 452 et Appendicem I.

4) l. l. p. 9, etc.

Nemini porro in mentem veniet, putare, eum clericum fuisse aliquem, qui Alberici modo in cella sua abdita res aliorum conscripserit; sed miles videtur fuisse et fortis et nobilis, qui res a se suisque maioribus in nova patria sua gestas memoriae prodidit, subditus fortassis et vassallus, seu amicus et familiaris Bartholomaei illius Ghisii. Sermo eius a Villeharduino omnino non discrepat; et quamvis rebus a se enarratis omnibus non affuerit, tamen ex optimis fontibus hausisse videtur. Lingua eius est Francogallica illa vetus sui saeculi, attamen Italicis vocibus mixta; itaque nonnullae voces, ut Buchonius in praefationis suae pag. XXIV. demonstravit, ex Italica lingua sumptae sunt [1]). Quodsi igitur Ghisii illius vassallum eum fuisse statuerimus, eius rei causa facile cognoscetur, quum ipse Bartholomaeus Italico genere oriundus fuerit. Quod vero ad dicendi genus eius attinet, Villeharduino et Valentianensi simillimus est. Vivax et sincerus, quae a maioribus amicisve in patria sua, nova illa Francia, acceperat, collecta retulit; neque ineleganter [2]) res fortissime gestas, quae antiqua illa Graeciae Romaeque tempora redolent, depinxit.

---

1) cf. sigre = seguire (p. 339), suegre = suocero (p. 413; 435), ville = villa (maison de campagne p. 327), cuigna = cognato (p. 406), arbitrie = arbitrio (p. 369), done = donna (p. 10), denant = dinanzi (p. 347), palifier = palesare (p. 331), joint = giunto (p. 335) etc.

2) Scite E. Curtius V. Cl. Chronicon Moreoticum, quod tamen perperam genuinum et originale opusculum videtur habuisse, cum Homero contulit, dum dicit: „Eine ganz neue Geschichte der Halbinsel beginnt, und wie die Heldenzüge, mit denen die griechische Geschichte anhebt, so sind auch die Thaten der fränkischen Eroberer in einem Epos gefeiert und der Nachwelt überliefert; es ist die Chronik von Morea.“ Idem expeditiones illas Francogallorum iure appellat: „eine althellenische Geschichte im Gewande des Mittelalters.“ (Peloponnesos. Gotha. 1851. T. I. p. 94. 96.)

Etiamsi nonnunquam erravit, sponte eum falsa retulisse, qui putet, nemo erit. Fortis animi iuvenis, vestigiis maiorum suorum praeclaris incedere videtur, itaque, qui commentariis eius Chronici nomen dare maluerunt, omnino errarunt; ad quorum commentariorum ingenium eadem referenda esse duco, quae supra de Villeharduino diximus. Quem librum toto saeculo XIV° tota Francia summi aestimatum esse, et testimonia illa nos edocent gravissima et Graeca eiusdem operis versio, de qua postea verba faciam, quum ad fontes huius periodi Graecos pervenerim.

Consistit autem liber noster in duabus partibus, quarum altera alterius prologus habenda est. Prologus ab Hierosolyma recuperata exordium capit, deinde expeditionem illam Constantinopolitanam refert. Quo in prologo etsi chronologia nimis neglecta est, tamen res ipsae optime enarratae sunt, neque ineptum sit coniicere, Villeharduino eum usum fuisse, etiamsi fontes a se adhibitos nusquam nominat. In enarranda autem imperii Constantinopolitani historia negligentiorem se praebet, praesertim in recensendis principum nominibus. Itaque Ioannem illum Asanum, Bulgariae regem, cum Ioanne Vatatze confudit [1]), eundemque Nicephori, Artae despotae, patrem finxit, quem Michaele illo Angelo-Comneno genitum esse constat. Balduino successisse ait [2]) Robertum, quo nomine et Henricum et Petrum et Robertum complecti videtur; denique, omisso omnino Brennensi illo Ioanne, Balduini II. fata extrema exponit [3]); qua in extrema prologi sui parte maiore diligentia usus est. Denique in prologi fine se breviter fata Achaiae ex-

1) l. l. p. 21. „Jehan Vataqui. Cellui roi Jehan estoit père de Quir Nicifore, despot de l'Art."

2) l. l. p. 22—23.

3) l. l. 23 sqq.

positurum esse declarat [1]), quoque modo Guilelmus ille Salinensis (de Chanlito, Champlitte), affinis (non frater) comitis Campaniensis, Peloponnesi principatu potitus sit. In hac libri sui parte secunda Guilelmi illius res enarrat, qui victis Peloponnensi incolis Slavicis Graecisque prope olivetum Cunturense [2]), in Francogalliam ad fratris Ludovici mortui hereditatem capessendam rediit. Godofredus I. autem Villeharduinus, quem principatus sui baiulum reliquerat [3]), feudis Andravidae distributis [4]), Robertum, Guilelmi nepotem, hereditate fraudavit [5]); quo facinore primus Achaiae princeps ex familia Villeharduinorum evasit et in conventu illo Ravennicensi multis honoribus auctus, anno 1218 occubuit [6]). Godofredus II., maior natu filius, ei successit [7]), qui Petri imperatoris filiam, Agnetem, in matrimonium duxit et fratri Guilelmo anno 1246 principatum reliquit [8]). Guilelmus, vir fortissimus, cum Graecis proeliatus, prope Castoriam captus est [9]), qua calamitate coactus est, ut munitissimas tres urbes [10]), Malvasiam, Mistram, Mainam, hostibus traderet. Quas quum frustra recuperare tentasset [11]) et cum Carolo illo Andegavensi affinitatem et foe-

---

1) l. l. p. 31. „et vous dirons et parlerons en briés paroles, coment la princée d'Achaye fu conquestée par monseignor Guillerme de Salu, celle frere dou conte de Champaigne que on appeloit Champaignoys."

2) cf. p. 41 sq. et Chron. Moreot. v. 392: „στὸν Κούντουρου ἐλαιῶνα."

3) l. l. p. 48.

4) l. l. p. 50—57.

5) l. l. p. 61—69.

6) l. l. p. 72.

7) l. l. p. 74 sq.

8) l. l. p. 84.

9) l. l. p. 134—137.

10) l. l. p. 152.

11) l. l. p. 154 sq.

dus contraxisset [1]), Kal. Maiis anno 1277 occubuit [2]), sepultus in illo Sti. Iacobi, quod Andravidae est, monasterio. Guilelmo mortuo, virilis Villeharduinorum stirps exstincta est; quamobrem Isabella, maior eius filia, successit, nupta primum [3]) Ludovico Philippo Andegavensi, Caroli I. filio († 1278), deinde Florentio illi Aveniensi [4]), ex Hannoniae principibus orto (n. 1290 † 1297), tertium denique Philippo, Sabaudiae et Pedemontis comiti [5]) (n. 1301); quorum principum res ad annum 1304 summa cum diligentia et accuratione enarrantur; exposito „torneamento" illo, quod Corinthi anno 1304 celebratum est [6]), liber noster explicit. Sequitur tabula chronologica [7]), quae, annos 1104 (leg. 1099) — 1333 complexa et in eodem illo mso. Bruxellensi reperta, initio quidem erroribus scatet, ab anno autem 1312 plurima, quae alias frustra quaeras, continet, quae summi momenti tabula ab eodem libri nostri scriptore vel saltem aequali eius composita videtur esse. Librum igitur hunc conquistûs summi aestimandum esse, nemo negabit. Nam et plurima, quae antea incognita erant, continet, cum veritatis studio narata, et nomina ista Francogallica, quae a Chronista Moreotico omnino immutata et deformata sunt, restituit. Itaque multa nomina, quae Slavis originem debere Fallmerayerus coniecit, ex hac aetate Francogallica ducenda sunt; id quod tribus exemplis demonstrare mihi liceat. Passavam urbem, quam cum Bavariae

1) l. l. p. 208—217.

2) l. l. p. 255 sq. „si rendy son ame à Nostre Seignor Dieu Jhesus Christ, le premier jour dou moys de may à mil deux cens soissante dix sept ans." cf. Tab. chronolog. l. l. p. 471. ad a. 1260.

3) l. l. p. 257—261.

4) l. l. p. 291—385.

5) l. l. p. 395 sq.

6) l. l. p. 468—470.

7) l. l. p. 471—477.

illa urbe communem originem a Slavis sumere opinabatur, hoc in libro „Passavant“ [1]) appellari videmus; quod nomen a Francogallico illo „passe avant“ derivatum est. Eodem modo „Beau-Regart“ [2]) illud in „Perigardi“ deformatum esse scimus. Simili modo de urbe illa „Veligosti“ [3]) iudicabimus. Quam urbem liber noster semper „Veligourt“ [4]) appellat et Matthaeo Montensi concessam esse ait[5]). Quem Matthaeum gente celeberrima „de Valaincourt“ ortum fuisse existimo; cuius filium nepotemve Theodori Lascaris II. filiam duxisse, Gregoras et Pachymeres auctores sunt. Itaque a nomine gentis illius urbis nomen derivatum esse videtur, quod Graeci ignari in „Veligosti“ immutarunt. Permulta alia eiusdem rei exempla inveniet, quicunque Buchonii praefationem illam, qua geographiam principatus Achaici optime descripsit, inspexerit. Sed etiam Slavos permultos tum temporis in Graecia, et imprimis in montosis Peloponnesi locis, habitasse, ex eodem libro elucet, quum saepissime mentio fiat illorum „Esclavons“ [6]),

1) l. l. p. 101.
2) l. l. p. 176—177. cf. Chron. Mor. v. 3876.
3) *Βελιγοστή* Chr. Mor. 384; 420; al.
4) l. l. p. 51, 55, al.
5) „messire Mahieu de Mons à la cité de Veligurt.“ l. l. p. 51. Dominorum Veligurtensium haec videtur esse genealogia.: Matthaeus I. 1209. (l. l.) — Matthaeus II., cui uxor data est (c. 1261) Theodora Lascaris, (*ἀπὸ τοῦ Μορέου . . . Μαΐῳ Δεβελικούρτῳ.* Pachym. l. III. c. VI. Vol. I. p. 180. cf. Gregoras (*δὲ Βελικούρτῳ*) lib. IV. c. 4. I. Vol. I. p. 92.) quique obiit ante a. 1264, quo, teste Pachymere (l. III. c. XVII. Vol. I. p. 208), vidua eius apud „Principem“ (Guilelmum II.) degebat (*κεχήρωτο γὰρ τοῦ ἀνδρός*). — Iacobus (Jaque de V. l. l. p. 252). 1275. — Raynaldus, qui 1302 Damalae dominus inscribitur (Regnaux de V., li sires de Damalet; l. l. p. 438.).
6) l. l. p. 95, 155, 159. cf. „entour les montaignes des Esclavons.“ l. l. p. 100.

quorum principales sedes in Tzaconia illa et Gardilivo fuisse declarat [1]). Dolendum autem est, virorum nomina saepe confusa, et chronologiam minus accurate expressam esse, et in ipso opere et in tabula, quae adiecta est, chronologica illa. Sed ad Athenas ipsas progrediamur, cui urbi illo tempore, quod liber noster complectitur, Rupenses domini imperitabant.

Ottonem quidem, primum urbis dominum, nusquam commemorat, attamen Athenarum dominum a Bonifacio illo Montisferratensi Achaiae principi subiectum fuisse declarat [2]). In nominibus porro ducum Atheniensium saepissime erravit, quum Ottonem cum Guidone I. nepote — quem falso Guilelmum appellavit —, et Guilelmum ducem cum Guidone I. eodem, patre suo, omnino confuderit [3]): qua in re scriptorem errasse, chartis, quae supersunt, omnibus convincimur. Itaque falso, Guidonem (Guillerme) anno 1218 una cum Godofredo II. principe Larissam sese contulisse [4]), arbitratus est; quum et privilegia illa, quae ei ibi concessa ait, a Ravennicensi illa concione originem ducant et Ottonem ad annum 1221 Athenas rexisse constet.

Guido I., Ottonis nepos, — ut in libro nostro exponitur — Guilelmo principi, Naupliam et Corinthum obsidenti, auxilio venit [5]); quibus captis, Argorum et Naupliae do-

---

1) cf. p. 155. „des Esclavons de la Chacoignie et de Cardalevo.“

2) „si lui dona la ligie et l'omage dou seignor d'Atthenes.“ l. l. p. 102.

3) cf. p. 86. „monseignor Guillerme de La Roche, le seignor d'Atthenes“; et p. 102. „messire Guillerme de La Roche, qui puis fu dux d'Atthenes.“ cf. Pacta Ferrariae. fol. 58. d. d. 1259, mensis septembris die primo: „Guidonis de Rocha, domini Athenarum“; et eiusdem domini diplomata duo apud Ducang. T. I. dipl. 17. 18.

4) l. l. p. 77.

5) l. l. p. 86–89.

minio auctus est [1]). Deinde enarrat certamen illud, quod inter Guilelmum et Guidonem de „homagio“ exarsit [2]). Guido, prope Carydin devictus, Thebis amissis, veniam rebellionis imploravit et impetravit; qui quum in Francogalliam ad Ludovicum IX. regem consulendum abiisset, ducis titulo insignitus [3]), rediit. Qui postquam frustra efficere studuit, ne tria illa Moreae castella Graecis traderentur, anno 1264 occubuit; de cuius successore, Ioanne, maiore natu filio, liber noster omnino tacet. Fratri absque prole anno 1275 defuncto Guilelmus successit, saepius in libro nostro commemoratus. Qui, ducta Ioannis Angelo-Comneni filia [4]), secundus post Guilelmi Villeharduini obitum Achaiae baiulus evasit, exstructoque Dimatrae castello [5]) ducatum Guidoni II. filio reliquit. Tutelam eius Hugo Brennensis, Licii comes, affinis, gessit [6]); adultus vero Mathildem, Achaiae heredem, in matrimonium duxit [7]) Calamatamque dotis nomine accepit. Qui postquam Philippo illo Sabaudo anno 1301 homagium praestitit [8]), rebus Thessaliae sese immiscuit. Ioanne I. Angelo-Comneno, Thessaliae domino, a. 1290 mortuo, filii eius, Ioannis II., († 1320) tutor evasit [9]) et Neopatriam urbem adiit, constituto ibidem baiulo Antonio illo Flamingo [10]) (»le Flamenc«),

---

1) l. l. p. 90.
2) l. l. p. 103—116.
3) l. l. p. 148—150.
4) l. l. p. 267. falso dicitur Helena, uxor eius, fuisse filia Theodori Angeli („quir Thodre sevastocratori“).
5) l. l. p. 268.
6) l. l. p. 271 et 273.
7) l. l. p. 267; 389—393.
8) l. l. p. 405.
9) l. l. p. 406—413.
10) cf. p. 409 et 410. „Anthoine (Anthonye) le Flamenc.“ cf. Dipl. Archiv. Montens. d. d. Kal. April. 1292. (1292. coté j. 23. p. 333)

qui, Carditzae dominus, Bodonitzae marchio illo tempore fuisse videtur. Pro pupillo bellum cum imperatore Constantinopolitano gessit acerrimum [1]), quod quum anno 1302 esset compositum, quiete ducatum suum rexit, donec anno 1308 occubuit [2]), sepultus in monasterii illo Daphniensi. Successit huic ultimae gentis Rupensis progeniei Gualterus ille Brennensis [3]), de cuius affinitate cum Rupensi gente contracta et funesta illa clade, qua ultimus Athenarum dux Francogallicus occubuit (anno 1310) [4]), multa in nostro hoc libro passim reperiuntur. Etsi in tabula chronologica [5]) eum anno 1307 obiisse scriptum est, et loco quodam Chronici Moreotici [6]), id anno 1309 accidisse, coniicere licet: tamen iustus ille annus hoc libro nostro indicatur, qui etiam cum Gregorae [7]) omnino concordat chronologia. — De Sti. Adomari porro dominis, qui Thebas rexerunt et magnificentissimum ibi palatium [8]) — quod postea a Catelanis vastatum et dirutum est — exstruxerunt, plurima eodem libro continentur, quae quidem enumerare longum est, sed suo quae-

---

et d. d. 1305. (coté j. 52). „Antoine li Flamans (le Flamenc.)“ et inscript. Carditzae a Buchonio repertam: „μισὲρ Ἄντωνι λὲ Φλάμα.“ l. 409. et La Grèce continent. p. 217. (d. d. l. 1311.)

1) l. l. p. 411—420.

2) Guidonem anno 1306 diem obiisse supremum, tabula chronologica illa falso ait. p. 473.

3) l. l. 238—239; 268—271.

4) l. l. p. 239 et 268. cf. p. 240. „Si fu mors . . . en l'an de Nostre Seignor Dieu Jhesu Christ à mille trois cens dix ans, le quinziesme jour dou mois de mars, par un leundi de la huitiesme indicion.“

5) l. l. p. 474.

6) Chron. Mor. v. 5959—60. ait, id accidisse anno mundi 6817 i. e. Christi 1309; reliqua, et indictio et dies, consentiunt; discrepare videntur, quia Graeci et Latini in anni initio statuendo discrepant.

7) Niceph. Gregor. VII. 7. Vol. I. p. 249 sqq.

8) l. l. p. 53 et 274.

que loco in historia mea ducatus Atheniensis exponam; ad eandemque commentationem eos delegamus, qui de Salonae et Bodonitzae dominis plura cognoscere volunt [1]).

Haec igitur sunt, quae de libro illo conquistûs disserere mihi proposui; quibus expositis, ad Graecos huius aetatis scriptores transire mihi liceat.

---

b) Graeci.

Disputanti mihi de Graecis huius aetatis fontibus duo eorum genera sunt discernenda. Sunt enim, qui, eruditione doctrinaque praediti, antiquam illam Graecorum linguam priscumque illud dicendi genus imitati sunt et Nicaeae seu Constantinopoli, imperatorum Graecorum auspiciis, libros suos scripserunt, quos scriptores communi illo Byzantinorum nomine complecti solemus; sunt porro alii, qui, Francorum auspiciis, vulgari illa lingua, qua populares eorum et nostri temporis Graeci utuntur, res Francicas litteris mandarunt. De Byzantinis [2]) igitur, antequam ad singulos scriptores transeam, pauca praefari mihi liceat. Qui quanti sint aestimandi in exponendis rebus Franco-Byzantinis, si interrogaverimus, certo iis erunt posthabendi fontibus, qui a Francis scriptoribus ducunt originem. Graeci enim illi, educati in aula imperatorum Graecorum, saepissime perpauca noverant de Francogallorum in patria ipsorum dominantium statu, quum ipsos imperatores maximam partem parum curasse principatus istorum »haereticorum« constet. Itaque et nomina vocesque Francogallicas, quas aut non in-

---

1) Genealogiam tamen comitum Salonae et marchionum Bodonitzae seriem brevissimam, quantum id fieri potest, dabo in Appendice huius dissertationis secunda.

2) cf. Mart. Hanckius de Byzantinarum rerum scriptoribus Graecis. Lipsiae. 1677. 4.; quo opere accuratior et copiosior scriptorum illorum enumeratio et aestimatio etiamnum desideratur.

tellexisse aut effari non potuisse videntur, prorsus immutarunt, et ipsas res Franco-Byzantinas adeo confuderunt, ut, si aliis fontibus destituti essemus, iudicare de iis vix liceret. Etenim ipsi Peloponnesum et reliquas Graeciae regiones Francogallorum dominationi subditas vix adierunt, quamobrem nil referre poterant de illis Graeciae partibus, nisi quae ab aliis audiendo acceperant; id quod de omnibus Francicae aetatis Byzantinis, excepto Phrantze illo et Chalcocondyla, dicendum est. Perpauca igitur in iis invenimus, quae ad Athenas respiciant, urbem ab anno 1205 ad Turcarum usque tempora semper ab occidentalibus gentibus possessam; eandemque ob causam liceat mihi perpaucis tantum verbis de iis scriptoribus loqui, qui de Athenarum historia illa aliquid retulerunt. Sed priusquam ad singulos huius aetatis scriptores, Nicetam nempe, Acropolitam, Pachymerem, Gregoram, Theodulum progrediar, de editionibus tribus principalibus scriptorum illorum pauca exponam. Postquam rerum Byzantinarum scriptores alii ab aliis alio tempore vulgati sunt, primum illorum „Corpus« [1]), Ludovici XIV. auspiciis, Philippo Labbaeo illo praecipiente, anno 1645 institutum est. Quo in opere perficiendo adiuverunt eum Fabrotus, Ducangius, Goarius, Combefisius, Possinus, Allatius, Bandurius, Boivinus, alii, qui ad annum 1711 opus, 36 voluminibus absolutum, continuarunt. Summopere viros illos doctissimos nixos esse scimus, ut et textus valde corruptos e melioribus codicibus restituerent et Latinis versionibus nec non annotationibus optimis illustrarent. Multa porro opuscula, antea inedita, primum hoc „Corpore“ vulgarunt, quod opus, si, qualis tum temporis fuerit artium litterarumque, imprimis et historiae et critices sta-

1) Corpus scriptorum historiae Byzantinae ed. Parisiis. 1645—1711. 36 Voll. fol.; ed. Venetiis. 1722—1733. 35 Voll. fol.; ed. Bonnae. 1828—1849. 46 Voll. 8.

tus, consideraverimus, haud parvi aestimandum erit. Denuo impressum est Venetiis, quae secunda editio etsi nonnullis in rebus primae postponenda est, quippe quae erroribus scateat typographicis, tamen, quum nonnulla opuscula, in priore illa editione omissa, receperit, non sine aliqua utilitate adhiberi potest. Tertia autem editio est illa, quae consilio Niebuhrii V. Cl. Bonnae anno 1828 instituta et post eius praematurum obitum, auctoritate Academiae Litterarum Borussicae hucusque continuata est. Cuius operis etsi 46 volumina sunt edita, tamen perfectum nondum est. Quae editio quamquam critica arte ceteris longe praestat, tamen viri ii, qui post Niebuhrium eam edendam curaverunt, nimis fideliter priorem illam editionem Parisiensem secuti esse videntur. Latinas enim versiones illas vel omnino vel parum emendatas retinuerunt, notasque illas, quas principi illi editioni adiectas esse videmus, verbo tenus neque ulla in re emendatas seu auctas repetiverunt. Neque eos scriptores, qui antea editi non erant, notis illustrarunt, quas quidem notas historicas contexere, non difficilius esse, Hammerus ille V. Cl. luculenter demonstravit [1]). Itaque volumen illud ultimum huius editionis, quo fragmenta Epirotica [2]), a Pouquevillio [3]) in itinerario suo edita, continentur, et Buchonii opusculis et Leakii [4]) itinerario illo Graeciae septentrionalis illustrari poterat, quo in libro commentarium

---

1) cf. v. Hammer de Byzantinae historiae ultimis scriptoribus ex historia Osmanica emendandis et corrigendis in: Commentation. recentior. societatis Goettingensis. Class. histor. et philolog. (1823 —1827). p. 233—252.

2) Historia politica etc. Bonnae. 1849. 8. pag. 205 — 279. fragm. I — VI.

3) Pouqueville voyage etc. T. V. p. 199 sq.

4) Leake Travels in Northern Greece. London. T. IV. 1835. 8. p. 203 sq. Buchon. Rech. hist. Ep. II. T. I. II. passim.

optimum reperimus. Mitto tabulam genealogicam illam Comnenorum Trapezuntinorum, Cinnamo annexam, quae post editum Fallmerayeri opus impressa est; sed tacere nequeo, nomina et Latina et barbara —, id quod Buchonius saepius questus est, — omnino deformata esse, et nos non raro in variis lectionibus id invenire, quod in textu frustra quaesivimus. Haec sunt, quae in hac editione recenti praecipue reprehendenda esse existimavi, sed iam ad singulos scriptores transeo.

Nicetas Acominatas [1]), Michaelis, Athenarum archiepiscopi, frater, Chonis oriundus ,Isaacii II. Angeli imperatoris nomine Philippopolim anno 1189 administravit, quo munere ab Alexio V. isto Murzuphlo exutus, urbe capta, Nicaeam se contulit, et in Lascaris illiusTheodori I. aula diem obiit supremum (1216). Qui XXI libris res Byzantinas a Ioanne Comneno ad Balduini necem (1118—1206) exposuit. Cuius operis libri quinque ultimi ad Francorum expeditionem illam Byzantino imperio exitiosam spectant. Athenarum quoque facit mentionem, quas et a Leone illo Sguro Naupliensi frustra oppugnatas [2]), — cuius quidem Leonis res accuratissime enarrat, — et a Latinorum Campanorumque cohortibus occupatas [3]) esse ait. Qui scriptor etsi litterarum et artium studiis sese dedit, tamen copiosiore et obscuriore dicendi genere perlegentes magis fatigat, quam oblectat. Itaque, quamquam urbi captae interfuit et certo e veritate horrenda Francorum facinora depinxit, tamen Villeharduini, quocum in describenda urbe capta conferendus est, commentariis magis sese oblectari, nemo erit, qui neget. Cuius ex libro excerpta sunt illa, quae de Sguri re-

---

1) Nicetae Choniatae historia, ex rec. I. Bekkeri. Bonnae. 1835. 8.

2) l. l. p. 799—803.

3) l. l. p. 805—806; 840.

bus Ephraemius [1]), saeculi XIV[i] scriptor, retulit [2]), quem in compilanda sua historia Byzantina, — quae 10392 versibus iambicis scripta est —, Niceta et Acropolita praesertim usum esse scimus.

Georgius ille Acropolita [3]), Constantinopoli anno 1220 natus, variis honoribus domi militiaeque functus, anno 1282 obiit; cuius historia Byzantina, annalium modo scripta et res annorum 1204—1261 i. e. historiam imperiorum et Nicaeni et Constantinopolitani complexa, summi aestimanda est, quum et fide dignus sit et rebus a se enarratis non solum interfuerit, sed etiam saepissime praefuerit. Athenarum tamen nomen in eius opere non occurrit, itaque, eum Thebas ab illo Ioanne Palaeologo devastatas [4]) depingere, dicere satis habeo. Facere autem non possum, quin dicam, me valde mirari, nomina illa monstruosa: »Aseldecaë« et »Aseldetusi« [5]) et in textum et in Latinam versionem esse recepta, etsi in indice adiecto [6]) recte in »Anseau de Cahieu“ et „Anseau de Toucy“ mutata sunt.

Sequitur Georgius Pachymeres [7]), Nicaeae anno 1242 natus, qui XIII libris res Byzantinas ab anno 1258 ad a. 1308 gestas enarravit. Cuius opere non contemnendo, quod Boivinus et notis optimis et commentario historico ornavit, non solum Ioannis Rupensis, tertii Athenarum domini, res [8]) summa cum diligentia exponuntur, sed etiam Catelanorum illa expeditio celeberrima [9]) ad Cassandriam usque occupa-

1) Ephraemius ex recognitione I. Bekkeri. Bonnae. 1840. 8.

2) l. l. v. 7275—7316.

3) Georgii Acropolitae Annales recogn. I. Bekkerus. Bonnae. 1836. 8.

4) l. l. p. 183. cap. 82.

5) cf. l. l. cap. 24. p. 44; c. 47. p. 92; c. 81. p. 181.

6) l. l. p. 282.

7) Georgii Pachymeris de Michaele et Andronico Palaeologis libri tredecim, recogn. I. Bekkerus. Bonnae. 1835. 2 voll. 8.

8) cf. l. IV, 31. T. I. p. 328. et l. V, 27. T. I. p. 411—413.

9) lib. XI. c. 12 — l. XIII. fin. (s. Andronici rer. l. V—VII.)

tam tanta cum fide enarratur, ut perpaucum a Muntanero Catelano, qui ubique sese gloriae gentis suae studiosissimum praebet, discrepet; id quod iam a Francisco illo Moncada laudatum esse scimus.

Sequitur Nicephorus Gregoras [1]), Heracleensis; qui, vir doctissimus, ab Andronico illo seniore anno 1325 ad Urosium IV. Milutinum, Serviae regem (1321 — 1335), legatus missus, postea miser in monasterio quodam occubuit, quum Palamae illius Thessalonicensis asseclas nimis acerbe persecutus et a Callisto patriarcha anno 1351 condemnatus esset. Historiam Byzantinam, quae, XXXVIII libris distincta (— quorum XIV adhuc inediti sunt, praecipue ad res ecclesiasticas pertinentes —), ab a. 1204 ad a. 1359 ducta est, conscripsit, quo tamen opere veritatis non nimis studiosum neque a vanitate et ambitione alienum se praestat. Quum vero his temporibus obscuris, fontibus paene omnibus destituti simus, cautione adhibita, non nihil utilitatis ex iis capiemus. Quod igitur ad Athenas attinet, et Ioannis ducis fata edocemur [2]), quae e Pachymere eum hausisse verisimile est; et Gualteri Brennensis miseram cladem [3]), a Catelanis ad Cephissum acceptam, optime exposuisse et depinxisse videtur. Porro de Catelanorum Athenis imperitantium rebus obscuris [4]) nonnulla memoriae prodidit, quamobrem hoc loco eum nominandum esse duxi. In ineditis autem libris illis, qui annos 1351 — 1359 complectuntur et quorum apographum Bonnensem inspicere mihi licuit, nil inveni, quod ad Athenas spectaret,

---

1) Nicephori Gregorae Byzantina historia Graece et Latine cum annotationibus Hier. Wolfii, Car. Ducangii, Is. Boivini et Cl. Capperonnerii, cura L. Schopeni. Bonnae. 1829—30. 2 Voll. 8.
2) l. l. lib. IV. c. 9. Vol. I. p. 114 sqq.
3) l. l. lib. VII. c. 7. Vol. I. p. 251 sqq.
4) l. l. lib. VII. c. 13. p. 279; lib. XI. c. 9. p. 533; lib. XIII. c. 6. p. 657.

id quod iam ex Schopenii V. Orn. commentatione [1]) intelligi potest.

Denique Theoduli rhetoris duo opuscula [2]) sunt consideranda, ex quibus excerpta quaedam Boivinus [3]) in annotationibus ad Gregoram additis vulgavit, quaeque nostro tempore a Boissonadeo V. Cl. in „Anecdotorum" suorum volumine II. integre sunt edita ex codice Regio n°. 1853. Quae fragmenta gravissima supplent ea, quae de Catelanorum in Thessaliam expeditione prodiderunt Pachymeres et Muntanerus, quae, quum Athenas ab illorum cohortibus captas commemorent [4]), non praetereunda esse existimavi.

Sed iam ad alterum Graecorum fontium genus transeamus, cuius quidem generis duo exstant opuscula, Chronicon scilicet Moreoticum illud et Dorothei historia. Boivinus iam ante hos ducentos annos se quarto Gregorae volumine, quod, sicut tertium, nunquam in lucem prodiit, praeter alia editurum promisit [5]) „poema ingens Graeco-barbarum de bello sacro, item de Constantinopolitanis, Peloponnesiacis et Neapolitanis Francorum expeditionibus", quo ex libro duos locos [6]) in annotationibus attulit, consentientes cum Chronici nostri versibus illis 6947—6948 et 5956—5960. Miror tamen, Ducangium nusquam hoc libro usum esse, nec in prima

---

1) Schopen Beiträge zur byzantinischen Geschichte und Chronologie aus den noch ungedruckten Büchern des Niceph. Gregoras. Bonn. 1835. 4.

2) Anecdota graeca ed. I. Fr. Boissonade. Parisiis. T. II. 1830. p. 188 sqq. *Θεοδούλου ῥήτορος τοῦ μαγίστρου πρεσβευτικὸς πρὸς τὸν βασιλέα Ἀνδρόνικον τὸν Παλαιόλογον.* et p. 212 sq. Eiusdem *περὶ τῶν ἐν τῇ Ἰταλῶν καὶ Περσῶν ἐφόδῳ γεγενημένων.* cf. Buchon Chroniques etc. praefat. LXII—LXIX.

3) cf. Notae ad Gregoram; ed. Bonn. T. II. p. 1204—1211.

4) cf. Cod. reg. no. 1853. fol. 145. et Boissonade l. l. p. 194 sq.

5) Gregoras ed. Bonn. T. I. praef. p. XVII.

6) l. l. T. II. p. 1181 et 1211.

editione historiae suae Franco-Byzantinae, nec in secunda illa recensione; etsi liber ei notus fuisse videtur [1]) et summae utilitati ei esse poterat in conscribenda historia illa. Quattuor autem Chronici illius codices exstare scimus, Regios duos, Bernensem et Havniensem. Quorum codicum, Regius, qui, saeculo decimo quarto quintove scriptus, n. 2898 notatus est, principalis est, cuius Regius alter (n. 2753) et Bernensis, Bongarsianus quondam (folior. 226 in 4°. coté 509), apographi incorrecti sunt. Itaque ad fidem cod. 2898, quem tamen multis lacunis laborare dolemus, Buchonius primus hoc Chronicon anno 1825 edidit [2]); sed alteram tantum partem, quae res Constantinopolitanas complectitur, Graeca lingua, alteram multo maiorem, quae ad Achaiam spectat, Francogallica versione vulgavit. Secunda editio ab eodem Buchonio anno 1840, ad eiusdem codicis fidem instituta, et textum totum Graecum et versionem et notas optimas et plurimas continet. Tertia vero, quae anno 1845 in lucem prodiit, editio nonnisi textum Graecum continet, qui ad fidem codicis Havniensis praestantissimi, quippe qui lacunas illas mssor. Regiorum suppleat, nunc primum est recensitus. [3]) Qui codex quum reliquis mssis.

1) cf. Ducangii Glossarium ad scriptores mediae et infimae Graecitatis. Lugduni. 1688. fol. T. II. appendicis, qua index auctorum continetur, p. 34: (Anonymus) „de bellis Francorum in Morea seu Peloponneso ab a. 1204 ad a. fere 1300“; quem librum circa vel ante a. 1300 scriptum esse putat, quoque Meursium in libro suo „de bello sacro“ scripto usum esse ait.

2) La Chronique de la Morée publiée par Buchon. Paris. 1825. 8. et 1840. 8. (in collect. illa: Chroniques étrangères etc.); ed. 3. 1845. (Rech. hist. Ep. I. T. II.: *Βιβλίον τῆς κουγκέστας τῆς Ῥωμανίας καὶ τοῦ Μωραίως.*)

3) Lacunae illae leves Cod. Havniensis, quae in editionis tertiae versibus (prolog. 1—104 et libri ipsius 3170—3209; 3527—3547; 3992—4025; 4263—4303) inveniuntur, codice Regio supplentur.

longe sit praeferendus, editio illa tertia procul dubio summi aestimanda est; attamen eam et notis omnino destitutam esse et accuratiore variarum lectionum recensione carere, dolendum est magnopere. Qua in editione librum, quem a Francogallico illo opusculo in Graecam linguam translatum esse intellexit, *Βιβλίον τῆς Κουγκέστας* i. e. librum conquistûs inscripsit; mihi vero, ut ab opusculo illo Francogallico eum discernam, appellare eum „Chronicon Moreae" liceat. Scriptum est Chronicon illud lingua Graeca vulgari illa, qua etiamnum Elidis incolae utuntur; cuius quidem linguae monumentum antiquissimum et gravissimum habendum est; qui enim ante eius tempus scripti sunt libri, brevissimi vel minoris sunt pretii. Nihilominus oratio valde differt a »vulgari« illa »eloquentia«, ut cum Boccaccio loquar, quae hodie in Graecia viget, magis aptata antiquae illi linguae. Mixta enim est vocibus Francogallicis et Italicis, quas Graecus eius libri auctor vertere non audebat, itaque voces illas: *μπούρκος* (borgo. v. 355), *μπαρούς* (baron. v. 2078), *μπάϊλος* (bailo. v. 545), *κούρτη* (corte. v. 6310), *ντάμα* (dame. v. 6006), *ἀβοῦερ* (avoiero. v. 6064), *βικάριος ντζενεράλ* (vicaire-général. v. 6657. 6765), alias, quarum in glossario a Buchonio addito copiam invenimus, saepissime adhibitas esse videmus. Quas voces, hodie maximam partem obsoletas vel abiectas, in aliis quoque mediae infimaeque Graecitatis libris reperimus, itaque Vincentii Cornelii (Cornaro) illius „Erotocritos" Italicis aliisque verbis Graecobarbaris refertus est. Sed ad Chronicon nostrum redeamus. Scriptum est versibus politicis, quo metrorum genere recentiores Graeci uti solent, et divisum in duas partes, quarum altera (prologus) 1332, altera 7792 versus continet. Prior illa ad Constantinopolim, altera ad Achaiam pertinet [1]).

---

1) Brevem eiusdem Chronici expositionem videas in: W. M. Leake Peloponnesiaca. London. 1846. 8. pagg. 136—160.

Itaque, si ad ea, quae hoc libro referuntur, respexerimus eaque cum libro illo conquistûs Francogallico contulerimus: nil, nisi Graeca eius versio accurata et cum diligentia instituta, esse videbitur. Easdem enim res eodem tradit ordine, et eo tantum discrepat cum illo, quod nomina Francogallis propria saepissime deformavit, quamobrem et in feudorum partibus recensendis minus se praebet diligentem; contra nomina Graeca, a Francogallico scriptore immutata, restituit et nonnunquam, adiecta ampliore nota geographica, explicat. Illum scriptorem porro, qui hunc librum vertit in Graecam linguam, universum textum Francogallicum in linguam suam transtulisse, ex eo coniicere licet, quod etiam res illas, in textu Francogallico narratas, exposuit, quae post annum 1304, quo in anno desinit liber Francogallicus, acciderunt. Itaque, etsi neuter codex ultra annum 1292 ductus est, tamen Gualteri Brennensis cladem illam naravit. Athenarum quoque saepe in hoc libro mentionem fieri, dicere, supervacaneum est, neque locos illos, qui omnes e Francogallico libro translati sunt, enumerare, operae pretium esse existimo. In ducum porro nominibus discernendis textum illum secutus est, itaque, minus accurate ea distingui, suspicari iam possumus. Quo vero tempore et abs quo haec versio sit scripta, quaerendum est. Homo certo fuit ille in Graecia natus, sed eum Francorum auspiciis opus suum scripsisse, et ex eo coniiciemus, quod Francogallica lingua se eruditum praebet, et quod Guilelmi Tyrii historiam illam, quam ipse tamquam *τὸ Βιβλίον τῆς Κουγκέστας* indicat [1]), perlegisse videtur. Scripsit autem fortasse exeunte saeculo decimo quarto, id quod eo comprobamus, quod a Stephano Nigro [2]), Sancti Salvatoris domino, (Etienne le Noir (*Μαῦρος*) de St. Sauveur) et

---

1) l. l. prolog. v. 91—92.
2) l. l. v. 7127—7130.

Agnete illa de Alneto filium ait ortum esse Erardum, cuius quidem Erardi, in diplomate quodam anni 1344, tamquam Sancti Salvatoris et Arcadiae domini, commemorati [1]), nulla in libro illo conquistûs Francogallico mentio fit. Post Erardi autem obitum scripsisse videtur Graecus ille, quum eum „bonum principem" dicat „fuisse" [2]); qui Erardus quum ante annum 1391 obierit, quo tempore Arcadiae praefuit Asanus ille Zacharias Centurionius, (post Petrum de Sancto Superando Achaiae princeps), iure exeunti saeculo XIV° hunc librum vindicasse videmur.

Cuius libri codex aliquis in Graecia quondam extitisse videtur, quo nixus, Dorotheus ille, Monembasiensis episcopus (1629), in libro suo historico [3]) res Francorum enarravit. Qui Dorotheus quum res a mundo creato ad Constantinopolim a Turcis captam gestas describere sibi proposuisset, in appendice de Francorum rebus nonnulla dixit et exposuit, quomodo Peloponneso potiti essent: *περὶ τοῦ ποτέ ἐπῆραν οἱ Φράγγοι τὸν Μωρέαν*; quam operis illius partem Buchonius quoque cum secunda Chronici sui Moreotici editione vulgavit. Qui satis accurate fontem suum secutus esse videtur, quum eodem ordine res enarret et iisdem saepe utatur verbis; quod qui cognoscere vult, comparet illa, quae de certamine inter Guidonem I. et Guilelmum orto [4]) Dorotheus memoriae prodidit, cum libro illo

---

1) cf. Ducange l. l. T. II. p. 224 et Guichenon hist. de la maison de Savoye. Turin. 1778. fol. T. II. (Preuves). p. 127—128.

2) l. l. v. l. Cod. Paris. ad v. 7130 sqq. „*καλὸς αὐθέντης ἦτον.*"

3) *Βιβλίον ἱστορικὸν περιέχον ἐν συνόψει διαφόρους καὶ ἐξόχους ἱστορίας παρὰ τοῦ ἱερωτάτου μητροπολίτου Μονεμβασίας, κυρίου Δωροθέου. Ἐνετίῃσιν.* 1685; 1743; 1786. 4; denuo impressa sunt ea, quae ad Francos spectant, apud Buchonium: Chroniques etc. praefat. pg. XVIII—XLIII.

4) Dorotheus ed. 4. Venet. III. p. 486—487.

conquistûs. Attamen alios fontes, nobis ignotos, qui fortasse eodem continebantur codice, Dorotheo ad manus fuisse, ex eo coniicimus, quod de Argis et Nauplia a Francogallis ad Venetos translatis nonnulla memoriae prodidit, quae cum Chronici illius enarratione, inepte certo, connexuit.

E Dorothei opere seu codice excerpta videntur illa, quae Matthaeus Cigala in historia sua, vulgari lingua Graeca scripta, protulit, quam historiam nonnisi ex annotationibus ab Allatio ad Acropolitam adiectis novi [1]; et Meletius ille [2], geographus recentiorum Graecorum clarissimus, quaecunque de Francorum in Graecia dominantium historia variis locis enarravit, ea ex Dorotheo nostro hausisse videtur.

Iam vero ad huius aetatis monumenta progrediamur.

---

### B. Monumenta.

Quibus in recensendis primum chartas a ducibus Athenarum scriptas vel ad eos pertinentes enumerabimus, deinde de legibus in Graeciam introductis pauca dicemus, denique aedes et monetas, quae huic primae aetati debent originem, commemorabimus.

Ottonis quidem, Athenarum primi domini, chartas exstare nonnullas in archivio Marmieriano Buchonius asseruit [3], quarum una abbatiae Bellaevallis sanctae crucis particulam tribuit; sed nulla hucusque vulgata est. Nihilominus aliis chartis res eius optime illustrantur. Innocentii enim

---

1) Notae Allatii ad Acropol. p. 221 ed. Bonn.: Dorotheus . . . . . . et, „qui ab eo exscripsit". Matthaeus Cigala in synopsi historiae. — Edita esse fertur Venetiis. 1637. 4.

2) *Μελετίου γεωγραφία παλαιὰ καὶ νέα. Ἐνετίῃσι.* 1728. fol.

3) cf. *Χρονικὸν τοῦ Μορ.* ed. I. p. 120. n. 3; ed. II p. 37. a. n. 3.

papae III. epistolae[1]), maximam partem a Stephano Baluzio editae, — cuius editionis supplementum est collectio illa a Brequignyo et la Porte du Theil vulgata —, summi sunt momenti quum ad reliquae Graeciae, tum ad Athenarum hace tempora illustranda. Quae quanti aestimandae sint epistolae, disserere longum est, quum nemo sit, qui de earum summa auctoritate et gravitate dubitet. Quibus Innocentius III. non solum Athenarum res ecclesiasticas illustravit, cuius urbis primo archiepiscopo Francogallico, Berardo, plurima bona in Graecia sita concessit[2]), sed etiam, qualis fuerit status urbis regnante Ottone, quaeque ei cum clero fuerint certamina, optime exposuit; porro si quis Ravennicenses illas conventiones quaerit, Innocentii epistolas inspiciat. Reliquorum paparum, quotquot ei successerunt, epistolas in archivio Vaticani secreto, maximam partem ineditas, latere dolemus; quas quum ipsas inspicere nobis non licuerit, iis chartis contenti erimus, quas, ad Athenas spectantes, in variis rerum ecclesiasticarum scriptoribus reperimus. Itaque et Raynaldi[4]) et Bzovii[5]), quem tamen illi posthabendum puto, opuscula, neque minus ordinum ecclesiasticorum annales, sicuti Waddingi annales Minorum[6]) gravissimos, inspicere debemus, ex

---

1) Epistolarum Innocentii III. libri XI. ed. St. Baluzius. Parisiis. 1682. 2 Voll. fol. — Diplomata, chartae, epistolae et alia documenta ad res Francicas spectantia edd. L. G. O. Feudrix de Bréquigny et F. I. G. la Porte du Theil. P. II. Parisiis. 1791. fol.

2) lib. XI. ep. 256. apud Baluz.

3) cf. Baluze Vol. II. p. 835—837.

4) Oderici Raynaldi Annales ecclesiastici. Romae. 1646—1677. 10 Voll. fol. (1198—1565).

5) Abr. Bzovii Annales ecclesiastici. Romae. 1616 sq. 8 Voll. fol. (1198—1564).

6) L. Waddingus Annales Minorum. Lugduni. T. III—VI. 1636—1648. fol.

quorum libris haud pauca licet haurire. Etiam Orientis Christiani [1]), quem Michael Le Quien ante hos centum annos edidit, volumine tertio multa de archiepiscoporum Atheniensium historia continentur, magna cum diligentia ex fontibus hodie magnam partem rarissimis petita; quae etsi multifariam emendari possunt, tamen omnino spernenda non sunt. Qui fontes etiam reliquis Athenarum aetatibus multum lucis afferunt, et Catelanorum imprimis res, quibus in describendis omnibus fere fontibus caremus, iis illustrari nemo ignorat.

Guidonis I. ducis duo exstant diplomata [2]) impressa saepissime, quibus de pecunia ab Hugone Burgundione anno 1259 ei commissa agitur. Praeterea in archivii Veneti volumine illo, quod inscribitur »Pacta Ferrariae [3])«, permultae insunt chartae ducum Venetorum, in quibus et reliquorum Graeciae procerum et Guidonis nostri fratrisque eius Guilelmi mentionem fieri videmus. Ioannis porro ducis charta quaedam, qua pacem cum Genuensibus compositam confirmat [4]), in archivio Genuensi exstat, quae etsi edita nondum est, tamen e Caroli Pagani libro, quae ea contineantur, optime potest cognosci.

Guilelmi ducis etsi nulla charta superest, permultis documentis et Guidonis II. et Hugonis Brennensis, qui eius tutelam gessit, res illustrantur. Etenim in archivio illo palatii Capuani, quod Neapoli est, plurima exstant regum Neapolitanorum diplomata, a Buchonio epochae secundae volumine altero edita, quae ad illorum res spectant. Multas porro chartas in archivio Montensi, cuius

---

1) Oriens Christianus, opus postumum Michaelis Le Quien. Paris. 1740. 3 Voll. fol. cf. T. III. p. 838 sq.

2) cf. Ducange. T. I. ch. 17. 18.

3) cf Livre de la Conqu. p. 103 et 144. nott.

4) C. Pagano delle imprese etc. libro II. p. 87—88.

catalogus in »Monumentis antiquis [1])“ a Iosepho comite de St. Génois editus est, reperimus, quibus et Guidonis II. connubium cum Mathilde Hannoniensi contractum et eiusdem mortem edocemur, ex quibus excerpta quaedam Buchonius in notis ad illud »*Βιβλίον τῆς Κουγκέστας*« additis vulgavit. Porro rationes redditae a Theobaldo de Cepoy, Francogalliae amirali, (quem in linguam suam vertisse Marci Poli itinerarium, quod in Bernensi bibliotheca exstat, falso putabant, quum codex ille nonnisi ab eo fuerit possessus) [2]), haud parvi habendae sunt, qui Caroli Valesii legatus Athenis, Guidone II. regnante, diu versatus est, quo quidem monumento multa de interiore ducatus statu docemur.

Gualteri ducis nullam chartam superstitem novi, multae vero, ad Sti. Adomari Thebarumque dominos spectantes, et in archivio Neapolitano et Augustae Taurinorum [3]), — id quod ex Guichenonii historia Sabauda elucet, — servantur; quibus usi illa, quae a scriptoribus ea de gente tradita sunt, et supplere et illustrare possumus.

Hae sunt chartae principales, ad Athenas pertinentes; quibus enumeratis ad legum codicem illum transeamus, qui, »Assisiarum Romaniae« nomine vulgo appellatus, inscribitur: „Consuetudines imperii Romaniae“; de quo libro quum alio loco plura exponere nobis proposuerimus, hic eum paucis absolvere liceat.

---

1) Monuments anciens du comte Josèphe de St. Génois. 1re. part. Paris. 1782. fol. p. 332 sq.

2) cf. Nouveau journal asiatique. Paris. III. Série. T. XII. 1833. 8. p. 244 sq. Paris sur le ms. de Marc Pol, par monseigneur Thiebault, chevalier, seigneur de Cepoy.

3) cf. Reg. Pal. Capuani. 1270. B; 1274. B; 1278. B; 1290. B; 1291 1292. A. et Guichenon hist. de la maison de Savoye. T. II. Preuves. passim.

Consuetudines has cum Hierosolymitani regni constitutionibus illis, quae »Assisiae Hierosolymitanae» vocantur, multis in partibus consentire, nemo est, qui ignoret; et in ipso libri nostri exordio, eas imperii Hierosolymitani legibus originem debere demonstratum est. Hierosolymas autem a crucesignatis post recuperatam Palaestinam consuetudines illae feudales sunt translatae, quae tum in Francogallia vigebant, quarum consuetudinum quum alia exemplaria supersunt, tum consuetudines illae Bellovacenses exstant. Constantinopoli autem capta, in Franco-Byzantinum imperium leges istae quasi migrarunt totoque imperio tota Francogallica aetate sunt observatae, id quod ex pactis Ravennicensibus optime intelligitur. Eodem vero modo, quo „Assisiae Hierosolymitanae" postea, Ioanne de Norisio, Tripolis comite, rem administrante, in usum regni Cyprii collectae sunt, reipublicae Venetae consilio anno 1421 consuetudines illae Romaniae in Euboeae insulae, tum Venetis subditae, usum in corpus redactae sunt. De illis autem saepissime editis [1]) taceo; de harum duabus partibus pauca addam. Atque illius quidem partis, quae, „bassa corte" dicta, „inferiorem curiam" seu „forum vicecomitis" complectitur, duos exstare scimus codd. in bibliotheca Regia, inscriptos nº 1390 et 465 suppl., alterum quondam in bibliotheca Colbertina conservatum, alterum a Myna Mynoide ab Atho monte eo translatum. Quae pars, vulgari lingua Graeca scripta, ad usum principatus Achaiae composita videtur esse, etsi nihil, nisi versio Graeca consuetudinum Hierosolymitanarum est; sed inedita adhuc latet, si excipias excerpta perpauca, a Buchonio et Zachariaeo vulgata [2]).

1) cf. Pardessus mémoire sur un monument de l'ancien droit coutumier de la France. Paris. 1829. 8. et varias »Assisiarum Hierosolymitanarum« editiones, a Fouchero, Beugnoto, Kauslero paratas.

2) cf. Buchon histoire des conquêtes etc. Appendice. I. p. 427—435. et C. E. Zachariae histor. iuris Graeco-romani. Heidelberg. 1839. 8. p 137—190.

Alteram vero partem, quae „alta corte“ dici solet, e codd. Archivii Veneti Cancianius edidit [1]), lingua Italica ad Euboeae sc. usum scriptam, et, ut in prooemio dictum est, iussu Dominici Pisani quondam Ioannis, qui Io insulae imperitabat et cum Ioannè Crispo, Aegeopelagi duce XVIII° (1483—1487) litigabat, descriptam. Continentur hoc codice leges 219 antiquiores, quibus adiectae sunt constitutiones octo, ineunte saeculo XIV° latae, Nicolao Ioinvillio Achaiam vicarii seu baiuli vice administrante. Multae res, ad historiam pertinentes Graecam, in his legibus commemorantur, ut Nicolai Tremoliensis fata [2]) et Nicolai de Sto. Adomaro de Passavanti dominio certamen cum principe [3]); nulla vero iis enarratur res, quae annum 1300 excedat; quamobrem circa illa tempora primam earum collectionem in Achaia institutam esse, coniicere possumus. Athenarum domini bis in iis mentio fit; qui quum unus e duodecim principatus „paribus“ sit, et vitae necisque ius [4]) et castella aedificandi potestas [5]), reliquis proceribus denegata, libro illo ei conceditur. Cuius libri „ingenium“ quale fuerit, si interrogaverimus, singulas leges, sine ullo iusto ordine compilatas neque usquam systematis vestigium prae se ferentes, completum codicem omnibusque ex partibus abso-

---

1) Barbarorum leges antiquae ed. Paulus Canciani. Venetiis. 1785. fol. T. III. p. 493—534: Liber consuetudinum Imperii Romaniae, in Venetorum et Francorum ditionem redacti, concinnatus in usum Principatus Achaiae, et Serma. Republica Veneta SC. approbatus.

2) cf. Tit. 18.

3) cf. Tit. 36.

4) cf. Tit. 43: »A far vendeta de sangue non se convien se non a li eguali di Miser lo Principo, zoe a lo Ducha de Atene, al Signor di Nixia etc.«

5) cf. Tit. 94: »de li XII Baroni, li quali ha dreto e zusto imperio, lo qual puo edificar Castello, e Castelli in la propria terra.«

lutum, (cuius generis et Romanum ius et recentiores legum codices sunt), efficere, nemo dicet. Quod vero ad singulos iuris huius feudalis titulos attinet, de iure publico [1])perpauca sunt tradita, quum nil aliud fere, nisi quomodo feudi possessor principi, bello urgente, obstrictus sit, exponatur. Feudatariorum autem duo genera commemorantur [2]), alterum „valvasorum" maiorum, qui „ligii" dicuntur, alterum minorum, qui „plani homagii" homines appellantur; de quorum „homagio" [3]) seu fidelitatis iureiurando deque operis praestandis seu servitiis [4]) plura relata sunt. Eodem modo, quî donatione seu traditione feuda acquirantur [5]), dictum est; quas vero ob res feudi possessio amittatur [6]), vix expositum est. Quod autem ad familiae ius spectat, de contrahendis connubiis [7]) perpauca, plurima contra de tutela [8]) et viduarum bonis seu „duario" [9]) exposita sunt; de cura quoque bonorum [10]) uno titulo agi scimus. Ius porro feudatariorum hereditarium [11]) et officia „villanorum" Graecorum [12]), qui, quasi clientes, Francogallicis patronis subditi erant, summa cum diligentia explicata sunt. De processu autem et civili [13]), qui praesertim de causis feudalibus instituitur, et criminali [14]), quo praecipue de parricidio ac proditione decernitur, nonnulla dicta reperies, multa vero

---

1) cf. Titt. 16—19; 27; 136 etc.
2) cf. Titt. 28; 47; 72; 84; 98.
3) cf. Titt. 68; 70; 71; 75 etc.
4) cf. Titt. 22; 24; 26; 48; 52 etc.
5) cf. Titt. 30; 44; 46; 50; 59 etc.
6) cf. Titt. 41; 51; 117; 133 etc.
7) cf. Titt. 78; 80; 105; 119 etc.
8) cf. Titt. 39; 53; 54; 83; 85 etc.
9) cf. Titt. 35; 45; 58; 61; 76; 97 etc.
10) cf. Tit. 106.
11) cf. Titt. 32; 34; 36—38; 109—112 etc.
12) cf. Titt. 25; 174—189; 197; 203; 205; 206.
13) cf. Titt. 8; 13; 21; 29; 42; 49 etc.
14) cf. Titt. 5; 33; 43; 151; 161; 163 etc.

certo desiderabis; nihilominus hoc aetatis huius monumentum superstes non despiciendum, sed accuratiore expositione dignissimum est.

Iam vero ad aedes huius temporis superstites transeamus, quas breviter enumerabimus. Athenis primum exstat parva quaedam ecclesia, »Catholicon« dicta[1]), quam a Francogallis e marmoribus Graecis Romanisque constructam esse, et populares tradunt, et forma demonstrat; quae et imperatorum Byzantinorum, et Villeharduinorum, Rupensium, aliorum imperii Franco-Byzantini procerum insignibus ornata est. Quam, ut reliqua huius aetatis monumenta, Buchonius et accurate descripsit et depingendam curavit in Atlante suo[2]), ad quod opus viri cl. eos, qui plura de iis scire desiderant, delego; quam ecclesiam a Godofredo II., Achaiae principe, et Guidone I. ad expiandam Honorii papae III. iram anno circiter 1223 conditam esse putat. Sti. Nicodemi ecclesia[3]), quae Athenis est, utrum Francis an Graecis debeat originem, decerni posse negat; contra Sti. Lucae monasterium[4]) illud clarissimum, in Boeotia situm, a Byzantinis imperatoribus atque a Romano quidem Lecapeno (919 — 944) aedificatum esse constat. Supersunt autem Daphnis[5]), quod monasterium, quondam a Cisterciensium ordine possessum, duobus milliariis ab Athenis Eleusinem versus distat, sepulcra ducum Rupensium et Guidonis II. loculus, cruce et liliis duabus insignis[6]); quem hoc in monasterio sepultum esse, e charta

1) cf. Buchon la Grèce continentale. p. 129—131.

2) cf. Atlas de la principauté etc. pl. II.

3) cf. Buchon l. l. p. 131.

4) cf. Buchon. l. l. p. 242.

5) cf. Buchon. l. l. p. 131 — 133; 173 — 176. et Atlas pl. III, IV, XXXI, XXXII.

6) cf. Atlas pl. XXXVIII. n. 2.

quadam archivii Montensis elucet[1]. Porro castelli illius magnifici, quod secundum Librum conquistûs[2]) Nicolaus ille de Sto. Adomaro Thebis exstruxit, turris quaedam quadrangula[3]) nostro quoque tempore cernitur; et Bodonitzae[4]) aliarumque arcium Francogallicarum ruinae adhuc in Attica Boeotiaque conspiciuntur; quas omnes in Buchonii Atlante non ineleganter delineatas invenies.

Pauca denique addere mihi liceat de monetis[5]) ducum Atheniensium, Thebis et Athenis cusis, quarum nonnullas, quum ex aliis libris, tum e Saulcyi opusculo celeberrimo[6]) sumptas, Buchonius eodem libro denuo edidit. Pertinere videntur et ad Guidonem I., cuius duas vulgavit, et domini Athenarum et ducis, et ad Guilelmum filium et Guidonem II. nepotem[7]); porro Gualteri Brennensis ducis[8]) moneta quaedam exstat. Omnes sunt cruce insignitae altero latere, altero aut turrim templi Sti. Martini Turonensis, — quamobrem illius temporis monetae Turonenses (»livres tournois«) dicebantur, — aut Rupensis gentis insignia exhibent; quae insignia[9]), in monasterio Bellaevallis exstantia, cum Brennensis gentis armis idem Buchonius eo-

1) »Dalfinet«; Arch. Mont. n$_o$. j. 59. d. d. 1308. a. d. III. Kal. Novbr. Athenis.

2) Livre de la Conq. p. 252—253; 274—275.

3) cf. Buchon l. l. 208; Atlas pl. XXXV.

4) cf. Buchon. l. l. p. 287.

5) Friedlaender numismata medii aevi. t. II. n. 8. text. p. 34 — 35. Marchand mélanges de numismatique etc. lettre VII. p. 77. pl. I. n. 8. etc.

6) Fr. de Saulcy monnaies des barons français qui, après la prise de Constantinople en 1204, fondèrent des états héréditaires dans les provinces démembrées de l'empire grec. Paris. 1841. 4.

7) Atlas pl. XXV. n. 3. 4. 5. 6.

8) Atlas pl. XLII. n. 15.

9) Atlas pl. XL. n. 1. 2. 3. 4. 27.

dem loco prodidit. De genealogia illa Rupensis generis, quam ex archivio Marmieriano idem protulit [1]), hoc loco taceo neque de Brennensis familiae stirpe, de qua et in Anselmi illius historia genealogica Francogalliae [2]) et aliis locis multa invenies, hoc loco plura disseram, quum omnia ista in historia mea Atheniensi accuratius describere mihi proposuerim. Itaque ad secundam aetatem, Catelanicam scilicet, progredior.

---

## II. Aetas Catelanica. 1310—1386.

### A. Scriptores.

#### a) occidentales.

Hac in periodo describenda nos fontibus genuinis carere, dolemus; itaque, quum perpauci exstent huius aetatis scriptores, saepe ad eos respiciundum est, qui, aetate rebus a se narratis multo posteriores, ex fontibus nobis non apertis opera sua hauserunt. Principalis tamen fons liber aequalis Muntaneri est; qui etsi de prima illa aetate, scilicet de Guidonis II. temporibus, plurima disseruit, tamen quum ipse e Catelania duxerit originem, huc potius referendus videtur esse. Mittam igitur Chronicon Moreae Librumque conquistûs, quibus et de hac secunda aetate nonnulla memoratu digna continentur, et ad Muntanerum transibo.

Natus est Raymundus Muntanerus [3]) Pera-

---

1) Buchon Recherches historiques. Seconde Epoque. T. I. Avant-propos p. LXXXIV—LXXXIX.

2) Anselme histoire généalogique de la maison de France. Paris. 1728 sqq. XII Voll. fol. cf. Vol. I. p. 281, 413, 416, 547; Vol. II. p. 782, 849; Vol. VI. p. 109, 130, 131, 161.

3) cf. Bibliotheca Hispana vetus auctore D. Nicolao Antonio Hispalensi. Matriti. 1788. fol. T. II. p. 145. lib. IX. cap. IV. §. 204—205; qui Muntanerum, in sermonem Hispanum conversum, Bar-

ladae, Catelaniae urbe, anno 1265 et circa annum 1336 in patria obiit. Qui quum a litterarum studiis non abhorreret, etsi in narranda fabula Troiana [1]) Homeri sese imperitum praebet, tamen bello gloriam parare sibi maluit et multis rebus strenue ac fortiter et in Occidentis et in Orientis regionibus gestis, inclaruit. Domum reversus, Iacobi I., Aragoniae regis, historiam conscribere sibi proposuit; quod opus, 298 capitibus absolutum, ad annum usque 1328 duxit. Neque vero regum tantummodo res libro illo, lingua vernacula Catelanica scripto, complecti studuit; sed etiam gloriosas illas res, quibus Catelanorum nomen in Oriente summam sibi peperit gloriam, depinxit. Cuius commentarii tanto pluris sunt aestimandi, quum rebus a se enarratis non solum saepissime interfuerit, sed etiam praefuerit. Quis enim est, qui nesciat, a Muntanero nostro cum pauca manu Gallipolim urbem contra maximas Graecorum cohortes et Antonii Spinulae Genuensis classem summa cum virtute defensam esse; quo iubente, Catelani classem suam combusserunt, ut, domum reditionis spe sublata, paratiores ad omnia pericula subeunda essent? Ut vero, quae de Graecis rebus tradiderit, paucis exponam, ineunte saeculo XIV° Turcarum agmina imperium Palaeologorum vexasse constat; quibus quum Graeci isti degeneres resistere non valuissent, Rogerius Florius, cuius pater, Germanico genere oriundus, »Blume« dicebatur, vir belli peritissimus, hominum vagorum agmina, praecipue Catelanorum, collegit et Andronici Palaeolog auspiciis multis proeliis Turcas devicit. Qui, »Caesar Romaniae« creatus, paullo post a Michaele perfido, Andronici filio, trucidatus est; quo facto cohortes eius exacerbatae, ut mortem eius ulciscerentur, arma cum Graecis contulerunt et,

cinone a. 1595. fol. editum esse ait; et Buchonii praefat. p. XLIII —LXIX.

1) Muntaner c. 214.

compluribus ducibus, in quorum numero Muntanerus quoque noster fuit, Macedoniam et Thaciam devastarunt. Qui fortitudine sua superbientes, proprio vexillo sigilloque [1]) usi sunt seque ipsi »Magnam Companiam« seu »Societatem Francorum in imperio Byzantino dominantium« appellarunt. At Ferdinando illo Maioricensi, quem ab Aragoniae rege cognato Catelanorum exercitui praefectum esse scimus, a Theobaldo illo de Cepoy capto et discordia inter reliquos duces orta, e Thessalia a Chandrino, duce Graeco, pulsi sunt, et ut vitam suam sustentarent, Gualteri, Athenarum ducis, stipendiarii facti sunt [2]). Ferdinandus autem ille Athenas ductus et a Guidone II. in arce Sti. Adomari Thebana custoditus est, quem postquam Muntanerus adiit, ipse relicta Graecia in patriam rediit. Eo vero loco [3]), quo Guidonis mentio fit, multa de eius vita aulaque prodidit, quae summi momenti sunt ad illustrandum ducatus Athenarum Francogallici statum. Duce porro »bono« illo Guidone mortuo [4]), Gualterum successisse ei [5]) narrat, qui postquam, Catelanorum auxilio fretus, Graecos hostes fudit, ipse magnam illam societatem timere coepit; sed dum ad exstirpandos eos ad Cephissum arma cum iis confert, devictus occubuit. Tum, Athenis Thebisque captis, ducatus Catelanorum in Attica constitutus est, cuius qualis status, Rogerio Des-Laur, Manfredo et Alfonso Aragonensibus res gerentibus, fuerit, optime exposuit [6]). Quibus in rebus enar-

---

1) »Sagell de la host dels Franchs que regnen lo regne de Macedonia.“ cap. 225. ed. Lanz. p. 397.

2) cap. 235. ed. Lanz. p. 420—421.

3) cap. 237 et 244. p. 424 et 435—438.

4) p. 435: »bon duch de Tenes, qui lexa la terra al compte de Brenda« etc.

5) cap. 240. p. 429—431.

6) cap. 242—243. p. 433—435.

randis, quod ad praeclara sua facinora attinet, summa modestia usus est; contra quum patriae suae amore flagret, nonnunquam Catelanorum gloriam nimis iusto extollere videtur, etsi fidem cur ei denegemus, causa nulla est. Cuius commentarios cum Villeharduino optime conferri posse puto, quocum mire consentit, et si ad simplex nec fucatum dicendi genus respicimus, et si ad Graecos scriptores, qui utrique supplemento esse possunt, animum advertimus. Itaque ante hos ducentos annos Muntanerum cum Gregora et Pachymere comparandum suscepit Franciscus II. ille Moncada, Aytonae comes tertius, natus anno 1586, mortuus anno 1635. Qui librum illum celeberrimum, quo de expeditione a Catelanis et Aragonensibus contra Turcas Graecosque suscepta agitur, composuit; quo libro Ultremannus et Ducangius, qui Muntanerum vix commemorant, praecipue usi sunt. Moncada omnia illa, quae Muntanerus de Graecis rebus memoriae prodidit, collegit et cum Byzantinis illis comparavit scriptoribus; qui quum et elegantia sermonis et summa diligentia, qua in comparando utroque fonte usus est, excellat, neutiquam libro eius carere possumus [1]). Qui quum summam artem adhibuerit criticam, neque, patriae amore inductus, iusto nimis despexerit Graecos neque Muntanero iusto nimiam fidem habuerit, praestantissimus eius liber nostro quoque tempore et apud Hispanos et apud externos populos summi aestimatur. Id quod e versione illa Germanica elucet, a Spazierio instituta [2]), qui

1) Ex iisdem hausta est commentatio, quae inscribitur: Die Spanier des 14ten Jahrhunderts in: Europäische Annalen. Tübingen. 1809. Bd. I. p. 65—83; 117—150; Bd. II. p. 97—137; Bd. III. p. 1—68; nec non Bartholdi lepidissima narratio: Die Geschichte des Templers von Brindisi, Rogers von Flor, letzten Cäsaren der Romäer in Anatolien. (v. Reumont Italia. T. II. p. 149 sq.)

2) Franzisco de Moncada's Zug der 6500 Catalonier und Aragonier

tamen libris III opus distinguere maluit, quam, ut Hispanicae editiones demonstrant, LXX capitibus. Quod vero ad editiones Hispanicas [1]) illas attinet, praeter principem editionem tres mihi ad manus fuerunt, saeculo XVIII° et XIX° vulgatae, quarum ultimam, accuratissime institutam, et libro illo, qui, »Historiadores españoles« continet, insertam, Heinii nostri Viri egregie de me meriti liberalitati debeo. Muntaneri vero editio [2]) et prima et altera quum rarissima sit, neque inspicere eas accuratius mihi licuerit, tertiam illam nuper a Lanzio ad fidem editionum illarum antiquarum institutam [3]) adhibui. Cuius versionem quidem Germanicam idem Lanzius edidit, attamen nimis fideliter eum institisse illa versione Francogallica, quam Buchonius composuit [4]) et in Chronicorum suorum corpore edidit, et nonnullos errores haud leves commisisse, negari non potest.

Iam vero ad reliquos fontes huius aetatis transeamus. Quod ad duces Aragonenses, Athenis imperitantes attinet, pauca de iis variis locis, praecipue in historiae Siculae scriptoribus et antiquis et Fazello illo recentiore [5])

---

gegen die Türken und Griechen; deutsch von R. O. Spazier. Braunschweig. 1828. 8.

1) Francisco de Moncada Expedicion de los Catalanes y Aragoneses contra Turcos y Griegos. Barzelona. 1653. 4.; Madrid. 1777. 8.; 1805. 8. Tesoro de historiadores españoles con una introduccion por Eug. de Ochoa. Paris. 1840. 8. p. 125—272.

2) Chronica o Descripcio dels fets e hazanayes del inclyt rey Don Jaume primer rey Darago etc. feta per lo magnifich En Ramon Muntaner. Valencia. 1558. fol. Barcelona. 1562. fol.

3) Die Chronik des edlen Ramon Muntaner; catalonisch; herausgegeben von Lanz. Stuttgart. 1844. 8. (Publicationen des litterar. Vereins. Bd. VIII.)

4) Buchon Chronique de R. M. in: Chroniques étrangères etc. p. 217—564. — Chronik des edlen En Ramon Muntaner, übersetzt von C. F. W. Lanz. Leipzig. 1842. 2 Voll. 8.

5) cf. Nicolai Specialis historia Sicula ab a. 1282 ad a. 1337 et

invenimus; quos singulos locos hic recensere longum est. Sed ultimis Catelanici ducatus temporibus Hispanici illi scriptores, Mariana et Zurita, multum lucis afferunt; ad eos enim decurrendum est, quum aliis fontibus et aequalium testimoniis omnino simus destituti.

Ac Ioannes quidem Mariana[1]) e S. I. (natus Talaverae 1537, mortuus 1623), qui XXX libris res in Hispania ad annum 1516 gestas descripsit, etsi dicendi genere puro nec ineleganti et acri iudicio studioque veritatis excellit, tamen de perpaucis illis locis, quibus Athenarum mentionem fecit, tacere malo, quum eadem, multo aucta et emendata, in Zuritae libro, quem ei innotuisse scimus, invenire liceat. Hieronymus vero Zurita, Caesaraugustae anno 1512 natus, Caroli I. iussu ad scribendam Aragoniae historiam anno 1547 constitutus est, quo munere triginta tres annos functus, pridie Kal. Novbr. 1580 obiit. Triginta libris res regum Aragonensium a Pelayo ad Caroli I. regnum descripsit[2]); quo in opere id maxime egit, ut, quomodo res Aragonenses publicae mutatae excultaeque essent, demonstraret. Qui etamsi magis ad docendos eos,

---

Chronicon Siciliae anonymum ab a. 820 ad a. 1328. ap. Muratori. T. X. 1727. p. 913—1092 et 802—912. Thomae Fazelli Siculi de rebus Siculis decades duae edd. V. Amicus et Statella. Catanae. 1749—53. 3 Voll. fol. cf. Vol. III. p. 72 et 81. (Dec. II. l. IX.)

1) Marianae de rebus Hispaniae libri XXX. Hagae Comitum. 1733. 2 Voll. fol. — cf. Hispania illustrata. T. II. p. 205—800. passim. lib. XV. c. 14. 15; XVI. 5. etc.

2) Los cinco libros postreros de la primera parte de los anales de la corona de Aragon, compuestos por Geronimo Çurita, chronista de dicho reyno. Tomo II. En Çaragoça. 1610. fol. Excerpti ex iisdem ab eodem sunt illi: »Indices rerum ab Aragoniae regibus gestarum libb. III. ab a. 410 ad a. 1410.« ed. in Hispania illustrata ex biblioth. Pistorii ed. Schott. Francofurti. a. M. 1606. fol. T. III. p. 1—281; ubi de Athenis videas pgg. 150—160, 173, 181, 187, 191, 197 etc.

qui historiae studiis sese dederunt, quam ad oblectandos animos scripsit, et profunda eius eruditio longe abest a leviore illo et quasi poetico Marianae dicendi genere: tamen, quum optimis e fontibus hauserit, nobis non patentibus, scilicet e regni Aragonensis archivio Barcinonensi, et summa fide dignus et summi momenti scriptor habendus est. Quaecunque vero de Hispaniae historia memoriae prodidit, praetermittam et ad Athenas solas respiciam. Libro sexto res Ferdinandi Maioricensis, exposita breviter expeditione illa Catelanorum [1]), enarrat; deinde Athenas ab iis captas et Alfonsum Fadrique, Friderici, »Trinacriae« regis, filium nothum, iis praefectum esse tradit. Qua in parte et Villanium et Muntanerum praecipue secutus est; quo eodem Muntanero nixum, Ioannem Dametum Ferdinandi Maioricensis res descripsisse scimus [2]). Deinde expeditionem a Gualtero II. Brennensi anno 1330 contra Catelanos susceptam exponit [3]), et Guilelmi Ioannisque Aragonensium, Athenarum ducum, historiam [4]) accurate depingit. Cui quidem Ioanni anno 1348 mortuo Fridericus filius successit [5]); quo sine prole defuncto, Siciliae reges Athenarum ducatum retinuerunt et praefectis suis administrandum commendarunt [6]). Libri deinde decimi capite 30°, optime prodit, quomodo Petrus IV., Aragoniae rex, Athenas in suam redegerit ditionem; quo loco accuratissimus pro-

---

1) cf. Zurita. VI. c. 1—12, 19.

2) cf. La historia general del reyno Balearico por Dr. Juan Dameto chronista. En Mallorca. 1633. fol. cf. libr. III. tit. 3, quo loco et Moncadae mentio fit et Muntaneri, quem »personaje de grande calidad y muy apassionado a la corona de Aragon« appellavit.

3) cf. Zurita. VII. c. 13.

4) l. l. c. 18, 22, 39, 44, 82.

5) l. l. lib. VIII. c. 28. 60.

6) l. l. lib. IX. c. 15: lib. X. c. 21.

cerum Atheniensium catalogus invenitur [1]). Denique, Ludovico Aragonensi, Salonae comite, mortuo, Athenarum ducatum a Catelanis ad Acciaiolos Florentinos delatum esse ait [2]); titulo tamen ducatus Athenarum et Neopatriae gloriari suo quoque tempore Aragoniae reges Zurita declarat; id quod et chartis Alfonsi V. Aragonensis, in Capmanyi annalibus Barcinonensibus servatis, et carmine quodam, quod e bibliothecae Parisiensis codice protulit Ochoa, comprobatur et apparet [3]). Itaque principalem huius aetatis fontem esse Zuritae annales demonstravimus; iam vero ad reliquos scriptores, quibus suppleri possunt, transeamus; cuius generis quattuor supersunt: Villanius, Boccaccius, Sanutus, Brochardus.

Ioannes Villanius [4]), Florentinae historiae scriptor celeberrimus, qui anno 1348 obiit, Ricordanum Malaspinam secutus, res suae patriae suique temporis VII libris descripsit. Qui quum in priore operis sui parte aliis fontibus, praesertim Malaspina illo, nitatur, ab anno 1286 accuratiorem sese praebet, quumque multis rebus ipse inter-

---

1) l. l. fol. 377. a. b.

2) l. l. lib. X. c. 38. fol. 386. 391.

3) Antonio de Capmany y de Montpalau memorias historicas sobre la marina, comercio y artes de la antigua ciudad de Barcelona. Madrid. 1779—1792. 4 Voll. 8. cf. T. I. p. 139. II. p. 194, 197, 209, 211, 213 etc. — Catalogo razonado de los Mssos. Españoles existentes en la biblioteca real de Paris, por Eugenio de Ochoa. Paris. 1844. 4. p. 434. (poema in Alfonsi V. (†1458) obitum):

»¿El tu Rossellon, la tu grande Atenas,
»La tu Neopatria y tierras tan buenas,
»Porque te non prestan salud nin clemencia?«

4) cf. Muratori scriptores rer. Italicar. T. XIII. p. 1—1004 et, qui eum continuarunt, sequuntur T. XIV. p. 1—770. Denuo editus est nostra aetate: Cronica di Giovanni Villani ed. Franc. Gherardo Dragomanni. Firenze. 1845. 2 Voll. 8.

fuerit, sincero scribendi eius genere valde delectamur. Cuius librum a Matthaeo fratre et Philippo nepote ab a. 1348 ad a. 1364 continuatum esse scimus, qui tamen Graeciae rebus lucis nil attulerunt. Ipse vero Ioannes quum de imperii Constantinopolitani rebus plurima exposuit, tum Gualteri cladem Athenasque a Catelanis captas optime descripsit [1]), quos homines nefarios Graecas illas possessiones Francogallorum, quas „Latinorum delicias" appellat, funditus evertisse queritur.

Ioannes Boccaccius porro, Certaldinus ille libro nono operis illius, quod „de casibus virorum illustrium" [2]) scriptum est, Gualteri II. Brennensis vitam descripsit. Cuius ducis infelicis expeditionem Graecam satis accurate exposuit nonnullaque de ea, quae alio loco frustra quaeras, memoriae prodidit. Boccaccium rerum Graecarum peritissimum fuisse constat; itaque facere non possum, quin mirer, nescire Boccaccium, quo iure Brennensis stirps Athenas tenuerit. Qui etsi in narrandis Gualteri reliquis facinoribus nimis ei inimicum se praebet, quippe quem odisset tamquam Florentinae libertatis hostem, tamen quod ad Graecas res attinet, fidem ei denegare non possumus.

De Marino deinde Sanuto et Brochardo coniunctim dicendum est, quum utrumque eodem tempore et eandem ob

1) l. l. lib. VIII. c. 51. ed. Dragom. T. II. p. 55. »E così le delizie de' Latini, acquistate anticamente per gli Franceschi, i quali erano i più morbidi e meglio stante che in ullo paese del mondo, per così dissolute gente furono distrutte e guaste«.

2) Cuius libri quum editio Latina nulla mihi ad manus esset, Italica versione usus sum, quam Schoenemanni V. Cl., Guelferbytanae bibliothecae praefecti, debeo liberalitati, inscriptam: I casi degli huomini illustri opera di M. Giovan Boccacio partita in nove libri etc. per M. Giuseppe Betussi da Bassano. Vinegia. 1545. 8. fol. 249 a – 253 b.

causam eadem fere scripsisse constet. Ptolemaide enim, ultima urbe, quam Christiani in terra sancta tenuerunt, anno 1291 a Mameluco illo Melek el Eschref Dschelaleddin Chelil, qui Aegypto ab a. 1290 ad a. 1293 imperitabat, occupata, occidentales nationes sacras facere expeditiones desierunt. Nihilominus Sanutus et Brochardus saeculo XIV° novas crucesignatorum cohortes ad liberandum Christi sepulcrum convocare studuerunt; sed nihil ab iis effectum esse, manifestum est, quum saeculi XIV$^{i}$ homines aliis rebus atque illis, quibus saecula XI$^{um}$, XII$^{um}$ et XIII$^{um}$ gaudebant, sese dedisse constet.

Marinus Sanutus, Marci filius, cognomine Torsellus dictus, qui obiisse videtur anno 1331, opus suum, „Secreta fidelium crucis“ inscriptum [1]), anno 1321 Ioanni papae XXII. dedicavit; quo opere, mappa geographica illustrato et III libris partibusque 24 distincto, quomodo Hierosolyma facillime recuperari possent, ostendere studuit. Qui quum saepius rerum Graecarum mentionem faciat, ex Atheniensi ducatu ligna comparari posse dicit [2]); portus vero eius regionis, Armyrum, Demetriadem, Laden, a magna societate direptos esse declarat. Libro ipsi, quasi supplementum, 23 epistolas adiecit, ab a. 1324 ad a. 1329 ad diversos missas, in quibus Athenas saepe commemoratas esse videmus [3]). Itaque Euboeam a Catelanis, quos Friderico, Siciliae regi, subditos esse ait, bello petitam et Atticam a Turcis vexatam esse declarat [4]). Porro epistola tertia de Thessaliae statu optime disseruit; nam et varios domi-

1) Gesta Dei per Francos ed. Bongars. Hanoviae. 1611. fol. T. II. Marini Sanuti Torselli secreta fidelium crucis.

2) l. l. lib. II. pars 4. §. 13. p. 68.

3) l. l. Ep. V. p. 298; Ep. XVI. p. 305.

4) l. l. Ep. XXIII. p. 315. cf. (Sauger) hist. des anciens ducs de Naxos etc. liv. II.

nos ibi regnantes recenset et urbes, quae in Catelanorum ditionem erant redactae, enumerat [1]), quo eodem loco de affinitate ab eorum mariscallo cum Graeca illa gente Melissena [1]), quae et Messeniae et Phocidi imperabat, contracta verba facit. Quaecunque vero enarravit, fide digna esse videntur, quum et ipse Graeciam peragraverit et illa se per „hominem fide dignum et sciolum, qui venit de Negroponte", comperisse declaret. Nomina quidem Graecarum urbium in Bongarsiana editione valde deformata esse apparet, attamen restituere ea non difficile est; itaque anno 1325 Catelanos in Thessalia tenuisse praeter Gardikin et Zeitunem, urbes a Ioanne I. Angelo Guidoni II. concessas, et Neopatriam et Lidoricium, Siderocastron, Domaciam, Pharsalum scimus; quamobrem nostro etiam tempore Neopatriae ducatus titulo reges Hispaniae gloriantur.

B r o c h a r d u s  A l e m a n n u s [3]) (l'Aleman), Praedicatorum ordini addictus, Sanutique aequalis, eadem, quae ille papae proposuerat, Philippo VI., Francogalliae regi, anno 1332 commendavit. Cuius librum, Latino sermone scriptum, saepius editum esse [4]) scimus; cuius versio Francogallica [5]) a Ioanne Mielotio iussu Philippi II., Burgundiae ducis, optime instituta, quum ad manus mihi haec scribenti fuerit, ad eam delegare liceat. Maxima enim cum diligentia et fortitudinem et potentiam Catelanorum descripsit [6]), quos

---

1) l. l. Epist. III. p. 292.

2) cf. Piccoli cenni storici su i Melisinos. Pisa. 1836. 8.

3) cf. I. A. Fabricii Bibliotheca latina etc. Hamburgi. 1734 sq. T. II. p. 778.

4) cf. Grynaei descriptio orbis ed. le Clerc. 17 7.

5) Advis directif pour faire le passage d'Oultremer, par le frère Brochart, in: Reiffenberg Monuments pour servir à l'histoire de Namur etc. T. IV. p. 227—311.

6) lib. I. p. II. 5. (p. 247); p. VI. 1, 3. (p. 272—273 et 275).

et maris mediterranei dominos esse et tantum terroris imperio Byzantino incussisse ait, ut vix iis Palaeologi resistere possent. Qui quum Athenis imperarent, ut foedus cum iis ad subministrandum crucesignatis victum iniretur, magnopere consuluit [1]), quem locum si cum Sanuto et Francisci Balduccii Pegalotti [2]) Florentini (1335) fragmentis iis, quae ad Graeciam spectant, comparaverimus, multa de fructibus terrae Atticae et commercio ibi florente edocebimur.

Expositis his Catelanicae aetatis fontibus occidentalibus, ad Graecos scriptores progrediamur. Ex quibus etsi Chronicon Moreoticum illud huc quoque pertinere videtur, quum Gualteri fata contineat, tamen, quum iam antea de eo egerimus, et de eo et de Gregora hic tacendum est.

---

### b. Graeci.

Solus igitur considerandus est Ioannes Cantacuzenus ille [3]), qui, gente nobilissima oriundus, primum Ioannis Palaeologi tutor institutus, deinde ipse anno 1347 imperio potitus, a pupillo ope Francisci Gasteluzzii Genuensis — postea Lesbi domini — a. 1355 depulsus est et monachus obiit. Qui quattuor libris res Byzantinas ab a. 1320 ad a. 1357 descripsit, quo in opere, alias praestantissimo, ipse tamen nimiae vanitatis arguendus est. De cuius ingenio qui plura scire cupiat, Valentini Parisoti librum [4])

---

1) lib. II. p. III. 5. (p. 307).

2) cf. Pagnini della decima di Firenze etc. Lisbona e Lucca 1765—66. 4Voll. 4. et Buch. Rech. hist. Ep. II. T. II. p. 101.

3) Ioannis Cantacuzeni Eximperatoris historiarum libri IV Graece et Latine; cura L. Schopeni. Bonnae. 1828—1832. 3 voll. 8.

4) Val. Parisot Cantacuzène homme d'état et historien. Paris. 1845. 8. cf. p. 141 etc.

inspiciat, quo et de publica et de privata eius vita optime disputatum est, et operis eius accurata invenitur expositio. Quo eodem loco nonnulla de Catelanis prodidit, et de eorum expeditionibus in Thessaliam susceptis et de Rogerio illo de Luria [1]) (seu Des-Laur?), magnae societatis duce, cuius apud Cantacuzenum solum mentio fit. Quem quum paucis hisce verbis satis absolutum esse putemus, ad monumenta huius aetatis transeamus.

---

## B. Monumenta.

Chartarum huius aetatis maximam esse inopiam, dolendum est; itaque, si documentum illud gravissimum, quo Iacobi II., Maioricarum regis, iura explicantur [2]) et, qualis anno 1344 provinciarum Graecarum status fuerit, exponitur, excipias, praeter eas paparum epistolas, quas in Raynaldi et Bzovii et Waddingi supra recensitis operibus reperimus, quattuor tantum chartae supersunt. Atque in Paulii quidem codice diplomatico ordinis S. Ioannis [3]) epistolam Clementis papae V. invenimus, Fulconi de Villareto missam, qua eum ad expellendos Catelanos incitat; et ex archivio Panormitano [4]) duo Friderici, Siciliae regis, diplomata Buchonius protulit, quibus Petrus de Ardoyno magnae societatis cancellarius designatur.

---

1) l. l. lib. IV. c. 16. Vol. III. p. 90 etc.

2) cf. Ducange hist. de Cple ed. II. T. II. p. 375.

3) Seb. Pauli Codice diplomatico del sacro ordine militare Gerosolimitano. Lucca. 1733—34. 2 Voll. fol. T. II. pag. 26. cf. pag. 110 etc.

4) cf. Buchon Recherches hist. Ep. II. T. II. p. 394 — 396. diplom. Sicula. n. III. IV.

Porro diploma quoddam superest anni 1314[1]), quo Catelani Guidoni Delphino castellum Sti. Adomari concedunt, cuius ultimus dominus Falcobergensis, Nicolaus III., anno 1313 mortuus erat. Nonnulla porro, ex ineditis paparum epistolis excerpta et ad hanc Athenarum aetatem pertinentia in Ducangii secunda editione occurrunt[2]); sed omnes illae chartae, quibus Zurita usus est, in archivio Barcinonensi latere videntur. Quo archivio plurima et gravissima diplomata contineri ex iis coniicimus chartis, quas, de Ioannis Procidae conspiratione scriptas et a Prosp. Bofarullo V. Cl.[3]), Hispanici regni archivario, traditas, in „archivio" illo, historiam Italicam illustrante, vidimus. Quodsi igitur archivium Barcinonense inspicere mihi licuisset, multifariam certo haec aetas illustrari potuisset, cuius historiam ob chartarum inopiam hucusque maxime obscuram esse dolemus.

Neque si ad leges aedesve huius periodi superstites respicimus, Catelanici dominii monumentum exstat ullum. Ruinas enim illas, quas Hypate[4]) cernimus, Nicephori Angeli arcem indicant; et castellum, cuius prope Gardikin[5]) conspiciuntur vestigia, Guidoni II. duci originem de-

---

1) Histoire de Dauphiné etc. Genève. 1721. 2 Voll. fol. T. II. p. 151 b. „Nos Universitas foelicis Francorum exercitûs existentis in partibus Imperii Romaniae" etc.

2) cf. Ducange l. l. T. II. p. 197—206; 222—228 etc.

3) cf. Archivio storico Italiano. Appendice. T. V. Firenze. 1847. 8. p. 249. Eiusdem viri doctissimi exstat historia comitum Barcinonensium praestantissima, quam Heinii debeo liberalitati, inscriptam: Los condes de Barcelona vindicados etc. Barcelona. 1836. 2 Voll. 8.

4) cf. La Grece continentale. p. 337. Ross Königsreisen. Ed. II. Halle. 1851. T. II. p. 184.

5) cf. Ross l. l. T. II. p. 168; qui ibidem cisternam Francogallicam invenit, qua Achillis arma contineri populares fabulabantur; et Revue de Paris. 1843. T. I. p. 191 de aliis castellis Francogallicis in Neopatriae ducatu exstantibus.

bere Rossius demonstravit. Ecclesia porro illa, Sto. Georgio sacra [1]), quae Carditzae exstat, Antonii Flamingi iussu a. 1311 a Germano et Nicodemo monachis reparata, etsi huic aetati originem debet, tamen a Francogallico principe constructa est. Contra arma plurima, Chalcide in moenibus antiqui castelli anno 1840 reperta, huc referenda sunt, quae Catelanorum, Francogallorum et Turcopulorum in proelio Cephissensi occisorum fuisse Buchonius putavit, a Bonifacio Veronensi fortasse in palatium suum translata et postea, amissa Euboea, a Venetis ibidem abscondita. De quibus armis [2]) Buchonii et itinerarium et epistola quaedam Athenis scripta videnda est. Porro moneta quaedam superest, a Buchonio in Atlante suo [3]) delineata, quae huic aetati tribuenda videtur esse. Quae, Athenis cusa et cruce turrique illa S. Martini Turonensis insignis: D.. BYSANTI.. signata est. Insignia quoque procerum Catelanorum, qui in Attica teste Zurita agros tenuerunt, maximam partem e Febreri [4]) libro, quem Diezii nostri, Viri praeclare de

1) cf. La Grèce continentale. p. 217 et Livre de la Conqu. p. 409. n. 1.

2) cf. La Grèce continentale etc. p. 131 — 146 et J. A. C. Buchon lettre sur des armures du moyen âge trouvées à Chalcis en Eubée. Athènes. 1841. 8.

3) cf. Atlas pl. XXXVIII. n. 12.

4) Trobes de Mosen Jaume Febrer, Caballer, en que tracta dels llinatges de la conquista de la ciutat de Valencia. En Valencia. 1796. 4. (ed. Pasqual Marin); liber scriptus a. 1276. (cf. I. Fuster Biblioteca Valenciana. T. I. Valencia. 1827. 4. p. 3 — 4 et chartam excerptam e Regio Reg: Donationes Valenciae. 1237. fol. 12. p. 1.). Quo in libro conferre licet cum Zuritae l. l.: Almenar (trob. 33, 34), Ballester (tr. 77), Caba (Caball; tr. 151), Fuster (tr. 251—253), de Juan (tr. 274), Lauria (tr. 279), Ruis (tr. 427), Vidal (tr. 524), Villanova (tr. 530), Zarrovira (tr. 552) etc.

me meriti, liberalitati debeo; quo in libro, Catelanica dialecto scripto, insignia procerum illorum, qui Valenciae expugnationi affuerunt, et descripta ab aequali et satis eleganter delineata invenimus. Extremo loco commemorandam esse duco mappam illam geographicam, anno 1375 delineatam et Catelanico sermone illustratam, quam a Buchonio et Tastuo explicatam esse [1]) supra iam diximus. Quorum commentationem, qui plura de hoc monumento medii aevi geographiae gravissimo scire velit, inspiciat; itaque satis habeo, nomina urbium Atticarum ibi recensitarum repetere et, quantum id fieri potest, restituere. Sunt autem illa: Dimitrata (Demetrias), Larmiro (Armyros), Sto. Nicolao, Fetelos (Phtelio), Guardica (Gardiki), Bondeniza (Bodonitza), Ratisa (Ratuza), Talandi (Talanti), Cavo Ianco (C. Bianco), Longanizo (Lukisia), Streto (sc. di Negroponte), Atines (Athenae), Tive et Tivos (Thebae), Saline (Livadostro seu Sulinari) et Solla (Salona seu Soula). Haec sunt nomina in mappa illa commemorata, quibus historiam vel geographiam Graeciae valde illustrari qui neget, nemo est. His igitur de Catelanica aetate expositis, ad Acciaiolorum tempora progrediamur.

---

### III. Aetas Italica. 1386—1460.

#### A. Scriptores.

##### a) occidentales.

Ultima Atheniensis ducatus aetas fontibus occidentalibus valde destituta est. Licet enim Ducangius Summontii

---

1) Notice d'un atlas en langue catalane, ms. de l'an 1375, conservé parmi les mss. de la biblioth. royale, sous le no. 6816, fonds ancien, in folio maximo, par mss. Buchon et Tastu; in: Notices et extraits des mss. de la bibliothèque du roi. T. XIV. P. II. Paris. 1841. 4. cf. P. Paris les mss. français de la bibliothèque du Roi Paris. 1836. 8. T. I. p. 346.

historiam Neapolitanam [1]) laudet, tamen ille nonnisi perpauca de Raynerio I. duce memoriae prodidit; quaeque de posteris eius dixit, tam falsa sunt, ut ea praeterire malim.

Itaque de Acciaiolorum dominio unus Vespasianus Bisticcius Florentinus [2]) consulendus est; qui Philippo anno 1419 genitus Donatique Acciaioli amicus, vitas CIII virorum illustrium, qui saeculo XV° extiterunt, anno 1493 describere incepit. Quibus e vitis, optimis fontibus illustratis, id quod ex amicitia, quae ei cum Donato illo fuit, coniicimus, duae huc referendae sunt. Etsi enim Donati quondam Nerii Acciaioli (n. 1420, m. 1478) [3]) vitam descripsit, tamen eo loco de Acciaiolorum Athenis dominantium stirpe nihil exposuit. Contra in Petri, eiusdem Donati fratris, (n. 1426, m. post annum 1471) rebus enarrandis, Donati Acciaioli († 1400), avi eius, mentio fit, quem a Nicolao avunculo in Graeciam missum et Thebis, Sycamino, Hexamilio, aliis locis donatum esse ait. Qui, Raynerio fratre, qui primus Athenarum dux ex hac gente evasit, mortuo, Florentiam se contulit; cuius posteri ad Turcarum usque tempora regiones illas tenuerunt. In Angeli deinde quondam Iacobi (vix. 1415 et 1467) vita Athenas Thebasque ab Acciaiolis possessas esse testatur, eundemque Angelum, quum patria expulsus ad Graecos affines suos

---

1) Giov. Antonio Summonte historia della città e regno di Napoli. Napoli. 1601. 2 voll. 4. cf. lib. III. T. II. p. 420 et 470.

2) Angeli Maii Spicilegium Romanum. T. I.: Virorum illustrium CIII qui saeculo XV° extiterunt, vitae, auctore coaevo Vespasiano Florentino. Romae. 1839. 8. cf. n. 57, 58, 59. p. 420 — 476. Angeli vita denuo seorsim edita est in: Archivio storico italiano. Firenze. 1843. 8. T. IV. p. 339 — 361. Eodem loco inveniuntur vitae Andreae, Franciscae, Saracinae Acciaiolarum. pgg. 441, 446 et 450.

3) cf. Litta: Acciaioli. tav. V—VI.

se recepisset, a Turcis captum esse ait. Quem Angelum eo tempore in Graecia commoratum esse, epistolae nonnullae in Ricasoliorum archivio servatae comprobant. Itaque Bisticcio, etsi rebus enarratis aliquanto posterior vixit, fides denegari non potest. Nullus praeterea scriptor occidentalis res Acciaiolorum attigit, si tres illos excipias, qui de capta urbe verba fecerunt.

Atque Aeneas quidem Sylvius Piccolomineus ille, quem postea, Pii II. nomine dictum, ecclesiae regimen ab a. 1458 ad annum 1464 tenuisse scimus, et in epistolis suis res Graeciae saepe commemoravit [1]), quam Turcarum iugo liberare summa opera nitebatur, et in Europae descriptione Athenarum interitum prodidit. Urbem a Florentino quodam, qui frustra Latinorum auxilia exspectasset, Mohammeto II. traditam esse ait, id quod iisdem fere verbis ex Aenea Gerbelius [2]) repetivit. Quocum coniungenda sunt illa, quae in Francisci Sansovini (n. 1521, m. 1586 historia Turcica [3]) de Athenarum excidio inveniuntur, Cambinii et Spandugini, saeculi XVi scriptorum, testimonia.

Etenim Theodorus Cantacuzenus Spanduginus, vir nobilis Graeci generis, et de Raynerio II. duce nonnulla prodidit et Franciscum, ultimum ducem, caesum filiosque eius in palatium Mohammeti abductos esse ait. Andreas autem Cambinius [5]) Florentinus urbem et a

1) Cosmographia Pii papae II. Romae. 1509. 4. fol. 100 a — 101 a. Aeneae Sylvii Piccolominei Senensis Pii II. opera omnia. Basileae. 1551. fol. p. 405. cf. Epist. ibid. p. 906.

2) N. Gerbelius. l. l. p. 121.

3) Dell' historia universale dell' origine et imperio de' Turchi raccolta da Fr. Sansovino, libri III. Venetia. 1564. 4. cf. fol. 289 a; 350 a; 367 a.

4) Della origine de' principi Turchi discorso. l. l. fol. 195 a. et 198 a. (lib. seorsim editus: Firenze. 1551. 4.)

5) Della origine de' Turchi. l. l. fol. 143 a; 146 a; 154 b. (seorsim editus: Firenze. 1537. 4.)

Baiazito I. et a Murate II. captam esse, sed Mohammetum II. demum ducatum delevisse ait; quibus in rebus et cum Turcicis scriptoribus et cum Chalcocondyla ac Duca consentit. Haec sunt, quotquot exstant, occidentalium scriptorum de Acciaiolorum aetate testimonia, quae Graecorum scriptorum libris supplere et emendare valde iuvat.

---

b) Graeci.

De Graecis igitur seu Byzantinis scriptoribus, qui hanc Athenarum aetatem illustrarunt, agam; et primum quidem de Duca mihi dicendum est.

(Ioannes) Ducas [1]), nobilissima gente, ex qua nonnulli Byzantii imperatores prodierunt, oriundus erat et, urbe capta, Lesbum ad Gasteluzzics ibi dominantes fugit. Quorum principum nomine compluribus functus legationibus, insula a. 1462 a Turcis capta et Dominico, ultimo duce (1458—62), iugulato, ad scribendas res illas, quarum partim ipse aequalis spectatorve fuerat, animum appulit. Itaque, praefatus pauca de rebus ad a. 1341 gestis, Byzantini imperii historiam accuratius ab a. 1341 ad a. 1462 quadraginta quinque capitibus descripsit. Cuius dicendi genus etsi satis incorrectum et paene barbarum est, et ipse rerum externarum ignarum se praebet, tamen in narrandis rebus Byzantinis gravitate et rerum argumento eximius est. De Athenarum quidem ducatus interitu nihil prodidit; quum tamen Atticam a Bajazito I. subactam [2]) commemoret, hoc loco de eo dicendum esse putavi. Excidium vero Athe-

---

1) Ducae Michaelis Ducae nepotis historia Byzantina, recogn. et interprete Italo addito supplevit I. Bekkerus. Bonnae. 1834. 8. (cf. Epirotica. fragm. I. p. 207.)

2) l. l. cap. XIII. p. 47.

narum in Chronico illo brevi [1]), quod annos 1089—1522 complexum et a Graeco quodam Naupliensi, Venetorum dominio subdito, scriptum esse scimus, commemoratum invenimus, quo loco [2]) id anno 1456 mense Iunio accidisse dictum est.

Plura, quam Ducas prodidit memoriae, de Athenis Phrantzes exposuit. Georgii Phrantzis [3]) vitam et genus ex ipsius libro optime cognoscimus. Qui, Palaeologorum affinis a. 1401 natus est et rebus bello fortiter gestis excelluit. Protovestiarii dignitate a. 1432 ornatus, a. 1446 Lacedaemoni praefectus et 1448 magnus logotheta creatus est. Captus a Turcis a. 1453 aufugit et ad Thomam Palaeologum, Peloponnesi principem, se contulit; sed hac quoque terra a Mohammeto II. occupata, a. 1468 Corcyram secessit et a. 1477 historiam Byzantinam annorum 1260 — 1477 quattuor libris descripsit. Etsi nonnulla, quae ad res ipsas non spectant, operi suo immiscuit et scribendi genere obscuriore et copiosiore laborat, tamen, quum ipse et fide dignissimus et plurimarum rerum spectator fuerit, summi aestimandus est. Qui quum de Athenis nonnulla disserat, de Acciaiolorum primordiis falsa retulit. Ait enim [4]), eodem anno (sc. 1205), quo Davalus Peloponnesi princeps extitisset, Romanum Acciaiolum (Δελατζιόλης) Florentinum, qui grandem pecuniam crucesignatis credidisset, Athenas Thebasque pignori accepisse. Neque vero Davali ullius, tamquam Achaiae principis, usquam fit mentio, nisi quis forte eundem esse eum ac Blondi fabulosum illum Dominicum de la Rosa, vel Ultremanni Inicum de

---

1) l. l. p. 513—527.

2) l. l. p. 520.

3) Georgius Phrantzes, Ioannes Cananus, Ioannes Anagnostes ex rec. I. Bekkeri. Bonnae. 1838. 8. cf. »Phrantzes« in »Ersch und Gruber Encyclopädie etc.« Sect. III. T. XXV. p. 153—187.

4) l. l. lib. I. c. 34. p. 107.

Davalos, (quem Cephaloniae comitem loco Esaui de Bondelmontibus finxit), putat; neque Acciaiolos, qui a. 1386 Athenis potiti sunt, hanc ob causam urbis dominium tenuisse scimus. Quum vero Muratem I. Thebas, Athenas, totam Boeotiam et Helladem sibi tributarias fecisse statuat [1]), et res illas, quae post Antonii I. obitum acciderunt, enarret, fides ei habenda est. Nam et a. 1434 ad Antonium ducem et a. 1435 ad Turachanem Thebas obsidentem legatus missus est [2]). Denique Iunio anni 1456 Athenas a Turcis captas esse breviter commemorat [3]). Iam vero, his de Phrantze expositis, ad Chalcocondylam transeamus, de quo, utpote qui principalis huius aetatis fons sit, plura sunt dicenda.

Laonicus (Nicolaus) Chalcocondylas [4]) Athenis se oriundum fuisse initio operis sui declarat [5]). Vixisse eum saeculo XV° et plurimarum rerum ab eo narratarum spectatorem vel saltem aequalem fuisse scimus; quo vero anno natus mortuusve sit, omnino ignoramus. Gens autem Chalcocondylarum (*Χαλκοκονδύλης* = manus ferrea) toto medio aevo nobilissima erat; itaque Laonici nostri pater [6]), quem ipse urbis optimum appellat (*τῷ τῆς πόλεως ἀμείνονι*) post Antonii I. obitum studuit, ut eiectis Italis urbis dominium sibi vindicaret; sed a nepotibus defuncti ducis cum tota stirpe eiectus, Muratis II. captivus etiam a. 1444 fuit. Cuius affinis erat Demetrius ille, qui Athenis a. 1423 natus, a. 1450 Perusii vixit et a. 1510 Mediolani obiit, celebratus ut primus Homeri editor. Sunt, qui »Chalcondy-

1) l. l. lib. I. c. 31. p. 91. cf. Epirotica. fragm. III. p. 243.

2) l. l. lib. II. c. 10. p. 158—160.

3) l. l. lib. IV. c. 14. p. 383.

4) Laonici Chalcocondylae Atheniensis historiarum libri decem e recogn. I. Bekkeri. Bonnae. 1843. 8.

5) l. l. lib. I. p. 3.

6) l. l. lib. VI. p. 320—321 et lib. VII. p. 343.

lam« eum nominare maluerint, sed perperam. Nam et Laonicus noster patrem ubique Chalcocondylam appellat, et Chalcocondylarum gentem saeculis XVII° et XVIII° Athenis floruisse, et Sponius [1]) et chronicon illud Anthimi [2]), quod ms. possidet Cyr. Pittakis Atheniensis, demonstrant; quam gentem nostro aevo belli contra Turcas suscepti participem fuisse, e Surmelis historia illa Atheniensi [3]), quam Brandisii V. Cl. insigni erga me liberalitati debeo, elucet. Laonicus etsi rerum enarratarum copia ad legendum allicit, tamen, quum Herodoti dicendi genus imitetur, saepe vix intelligi potest obscurior eius sermo. Qui quum sibi proposuisset, Byzantini imperii exitium et Turcarum opes depingere, libris X res ab utraque gente ab a. 1297 ad a. 1463 gestas exposuit. Neque vero chronologicum ordinem servavit; sed Herodoti similis multa, quae ad externas nationes et antiqua pertinent tempora, operi immiscuit. Cuius libri editionem recentissimam magna cum negligentia institutam esse doleo. Vix enim ullum nomen proprium, nec hominum, nec urbium, recte emendatum vel in Latina versione restitutum est, neque ulla annotatio est addita. Attamen sine notis historiam illustrantibus nulli usui esse Chalcocondylam, inter omnes constat. Itaque facere non possum, quin Buchonio eam editionem valde reprehendenti [4]) omnino assentiar. Laonicus autem in exponendis Athenarum rebus fide nostra dignissimus est, utpote qui Atheniensis fuerit; nisi quis forte eum, inimicitia ductum, ultimorum ducum fata atrocia nimis auxisse putat.

---

1) Spon et Wheler voyage d'Italie, de Dalmatie, de Grèce et du Levant. Lyon. 1678. T. II. p. 237.

2) Anthimi ἱστορία τῶν Ἀθηνῶν. Ms. Pittak. p. 224.

3) Διονυσίου Σουρμελῆ ἱστορία τῶν Ἀθηνῶν κατὰ τὸν ὑπὲρ ἐλευθερίας ἀγῶνα. Ἐν Αἰγίνῃ. 1834. 8. p. 300 b.

4) cf. La Grèce continentale. p. 194.

Ut vero ad opus ipsum progrediar, libro primo Turcarum primordia ad proelium illud Cossovense cum fide et sine ira memoriae prodidit. Eodem loco Catelanorum expeditionem [1]) commemorat et Gualteri ducis necem atrocem, quam accurate descripsit; attamen dum Catelanos post pugnam Cephissensem in patriam rediisse putat, omnino errat. Secundo dein libro Bajaziti I. victorias describit et Salonae seu Soulae comitatus interitum [2]). Ludovico enim Aragonensi comite mortuo, vidua eius, Helena Cantacuzena, quam vitae libidinosae sese dedisse ait, cum Turcis foedus et amicitiam facere voluit et Baiazito filiam suam (Donna Maria Fadrique) obtulit; qua repudiata, Salonam Turcae in ditionem suam redegerunt. Quo loco error irrepsit monstruosus, qui iam a Buchonio valde vituperatus est. Legimus enim, Turcas esse profectos contra γυναῖκα τοῦ Δελουῆ ἡγεμόνος Τουντεδουλᾶ, id quod Latine ita versum est: »uxori Delvis, Delphorum ducis, Trudeludae.« Quem errorem e mendoso Chalcocondylae codice in Anthimi et Meletii, quin etiam in multa recentiora opera irrepsisse miramur. Ac primum quidem, quo iure illud Τουντεδουλᾶ in »Trudeludam« immutatum sit, quaerendum est; deinde ubi Delphorum nomen in Graeco textu occurrat. Iam vero Ducangius id emandaverat et legendum esse censuit [3]): τοῦ Δὲ Λουῆ (Don Luis) ἡγεμόνος τοῦ ντὲ (seu τοῦ ἐν τῇ) Σουλᾷ; id quod Latine vertemus: „Domini Ludovici, Soulae ducis“, quem Ludovicum Soulae comitem fuisse Zurita testis est. Innumeros eiusdem generis errores citare possumus, quod quum longum sit, ad Chalco-

---

1) l. l. lib. I. p. 18–20.

2) l. l. lib. II. p. 67. cf. Zurita Anales etc. lib. X. c. 30. pag. 377 a. b.

3) cf. Ducange hist. de Constantinople. T. II. p. 320 et Buchon la Grèce continentale etc. p. 194.

condylam revertamur. Qui postquam tertio libro Timuris res accuratissime descripsit, quarto Mohammeti I. historiam complectitur. Eodem libro quum de statu Graecarum provinciarum agit, tum de Athenarum conditione optime disserit [1]). Acciaiolorum quidem primordia non minus falso, quam Phrantzes, ad a. 1205 refert, quo eodem anno Centurionios Genuenses (*ἀπὸ τῆς Ἰαννΐων μοίρας τοῦ οἴκου Ζαχαρίων*) Peloponneso potitos esse fabulatur; postea vero se ipsum corrigit, dum Raynerium I. diu post expeditionem illam extitisse declarat. De Raynerio igitur et bellis eiusdem nec non de filiarum matrimoniis plurima memoriae prodit [2]) testamentique ab eo signati mentionem facit. Antonii I. vita sequitur, cuius bellum cum Venetis gestum resque privatae exponuntur; quem Athenas aedificiis et aliis ornamentis auxisse dicit magnificis. Quinto deinde libro de Hungaria et Neapolis regno sermo est, sexto res Muratis II. ad Varnense illud proelium describit; quem et Atticam devastasse et Athenarum ducem sibi tributarium fecisse auctor est [3]). Eodem loco historiam Atheniensem continuat resque illas, quae post Antonii I. mortem acciderunt, nec non Raynerii II. et Antonii II. fratrum dissidia describit. Raynerius, a fratre expulsus, Florentiam se contulit, et fratre mortuo denuo dux evasit, adiutus a Turcis, quibuscum foedus eum icisse [4]), idem Chalcocondylas septimo libro testatur. Eodem et octavo libro res a Mohammeto II. gestas urbemque captam describit; deinde nono libro interitum ultimorum principatuum Graecorum deplorat; decimo denique libro bella a Venetis ad recuperandam Graeciam gesta enarrat. Itaque extrema ultimorum Athe-

---

1) l. l. lib. IV. p. 207—209.
2) l. l. lib. IV. p. 213—216.
3) l. l. lib. VI. p. 319—321.
4) l. l. lib. VII. p. 341 et 348.

niensium ducum facta fataque atrocia memoriae prodit [1]), de quibus hic plura dicere longum est; quam materiam „tragicam" nullum hucusque poetam ornasse et in suum convertisse usum miror. Francisco, ultimo duci, Thebae relictae sunt, qui quum altiora moliri visus esset, a Sagano, Turcico duce, iugulatus [2]), anno 1460 occubuit, ultima ducum illorum progenies; cuius morte Athenarum ducatus nomen exstinctum est. Haec a Chalcocondyla relata sunt; quibus consideratis, gravissimus certe huius aetatis scriptor esse videbitur.

Post eum duo scriptores anonymi Athenarum excidium enarrarunt, qui primum a Martino Crusio [3]) in Turcograecia sua editi, postea recentissimae scriptorum Byzantinorum editioni Bonnensi [4]) inserti sunt.

Alterius opus inscriptum est Historia politica Constantinopolis, Byzantinorum sermone scripta, quam Theodorus Zygomalas, patriarchae Constantinopolitani protonotarius, eidem Crusio e codice quodam anno 1578 descripsit. Quo libro res Byzantinae ab a. 1391 — 1516 accurate enarrantur; quam historiam ad sua tempora Zygomalas breviter continuavit. Ibidem memoriae proditum est [5]), Mohammetum secundum Athenas cepisse viduamque ultimi ducis Trapezuntino cuidam protovestiario perfido collocasse [6]); quam Francisci uxorem Demetrii Asanis filiam

---

1) l. l. lib. IX. p. 452—455.

2) l. l. lib. IX. p. 483.

3) M. Crusii Turco-Graeciae libri VIII, quibus Graecorum status sub imperio Turcico describitur, Gr. et Lat. — Germano-Graeciae libri VI. Basileae. 1584. 2 Voll. fol.

4) Historia politica et patriarchica Constantinopoleos et Epirotica, recogn. I. Bekkerus. Bonnae. 1849. 8.

5) cf. Crusii Turcograecia p. 13 et 21; et ed. Byzantinor. Bonnens. p. 25 et 39.

6) Idem refert hist. patriarch. apud Crusium l. l. p. 121; ed. Bonn. p. 67.

fuisse dicit. Alterum autem opusculum, quod Historia patriarchica Constantinopolis inscribitur, res XXV patriarcharum ab a. 1454 ad a. 1577 ecclesiam Graecam regentium complectitur; quem librum, in Graecam linguam vulgarem versum, Manuel Malaxas Peloponnesius eidem Crusio anno 1577 dono dedit; quo libro Athenas anno 1456 nec, ut multi aiunt recentiores, a. 1458 expugnatas esse [1]), confirmatur. Haec igitur sunt testimonia scriptorum Graecorum de ultima Atheniensis ducatus aetate; quibus tanto plus gratiae habendum est, quanto magis dolendum est, ab occidentalibus scriptoribus nihil fere ea de re memoriae esse proditum. Quibus testimoniis expositis, pauca de Turcicis huius aetatis scriptoribus dicam.

---

### c) Turcici.

Ex his enumerare mihi liceat praeter Seadeddini illius »Coronam historiarum« (Tadsch-ul-tewarich), cuius operis versio Italica, a Bratuttio instituta[2]), ad manus mihi fuit, »tabulas «Hadschi Chalfae» historicas« (Takwimut-tewarich) [3]), quarum versionem Italicam rarissimam, a I. R. Carlio paratam, nusquam mihi inspiciendi facultas facta est, et Edrisii »octo paradisos« [4]) (Hescht bihischt) et Ssolaksadei »historiae Osmanicae compendium« [5])

---

1) cf. Crusius. l. l. p. 137; ed. Bonn. p. 124—125.

2) De Seadeddini versione v. supra; vulgata est pars I. Vindobonae. 1649. p. II. Matriti. 1652. 4. cf. Codd. Vindobonens. Turc. nº. 119—123.

3) Chronologia historica scritta in lingua turca, persiana ed araba da Hazi Halifé Mustafa, e tradotta nell' Idioma italiano da Gio. Rinaldo Carli. Venezia. 1697. 4. — ed. Turcice. Constantinopoli. 1733. fol.

4) cf. Codd. ab Hammero V. Cl. collecti.

5) cf. Cod. Vindobonensis Turc. nº. 472.

(Tarichi Ali Osman li Ssolaksade). Qui scriptores etsi rebus narratis aliquanto post vixerunt, tamen considerandi sunt praecipui Turcarum fontes, quos et de urbe a Baiazito I. anno 1397 capta disserere Hammerus [1]) ait, et de excidio ducatus Atheniensis nonnulla memoriae prodidisse verisimile est. Quum vero neque eos scriptores, maximam partem ineditos, inspexerim neque lingua Turcica eruditus sim, ad Hammeri opus delegare sategi, et ad monumenta ultimae huius aetatis progredior, quorum maximam nobis suppeditare copiam gaudemus.

---

## B. Monumenta.

Praeter Byzantinos scriptores Acciaiolorum historia plurimum chartis illustratur, quarum summa copia nobis ad manus est. Ut enim illas, quae Raynaldi annalibus ecclesiasticis et Bosii historia ordinis S. Ioannis praeclarissima [2]) continentur, praetereani, plurimas Buchonius publicavit. Quae diplomata Florentiae reperit, et in antiquo Reformationum archivio publico (archivio dei Riformagioni) et in privato Acciaiolorum archivio locupletissimo, quod, Acciolorum gente cum Nicolao illo clerico a 1834 exstincta [3]), hereditate ad Horatium Caesarem Ricasolium Equitem, ultimi Acciaioli ex sorore nepotem, translatum est. Quibus e documentis ea, quae ad reliquos Acciaiolos in Graecia versatos, ut ad Nicolaum illum filiumque Angelum, Corinthi

---

1) cf. Hammer Geschichte des osmanischen Reichs. Pest. T. I. 1827. 8. pag. 252 sq. et praefationis pagg. XXX, XXXIV, XXXVII et XXXIX.

2) Dell' istoria della sacra religione et illustrissima militia di San Giovanni Gerosolimitano di Jacomo Bosio. T. I. II. Roma. 1594. fol. cf. T. II. p. 34 (lib. II.); p. 74 (lib. III.); p. 114 (lib IV.) etc.

3) cf. Litta l. l. tav. VIII.

comites palatinos, pertinent, praetereo, et nonnisi de Atheniensium ducum stirpe verba faciam; quam ad stirpem triginta spectant diplomata summi momenti, maximam partem lingua Italica Latinaque scripta, exceptis iis, quae ad ducatus res ipsas spectant, Graeco sermone proditis. Itaque ad Raynerium I. ducem (1386 — 1394) duodecim diplomata [1]) spectant. Ac primum quidem Gregorii papae XI. epistola a. 1371 ad eum missa exstat [2]), qua eum, tum Athenis quidem nondum imperantem, sed Corinthi dominum, adhortatus est, ut ad concionem illam, quae Thebis ad arcendos Turcarum impetus haberetur, se conferret; de quo argumento eundem papam et ad Franciscum Georgium, Bodonitzae marchionem, ad ducatus Atheniensis vicarium aliosque misisse litteras, Raynaldi annales [3]) testantur. Sequitur privilegium Graecum [4]), a Raynerio a. 1387 Nicolao quondam Petri Mediceo Atheniensi (*Νικόλαον δὲ Ἀτέναις λεγόμενον Ἰατρόν* sc. „Medici") concessum, quo in diplomate sese Athenarum ducatus dominum nominat. Deinde tres exstant Ladislai, Neapolitani regis, chartae [5]) quibus a. 1394 et Raynerius ducis titulo ornatur, et, si absque liberis moreretur, Donatus frater ei substituitur, et Angelus Acciaiolus, cardinalis et frater eius, iubetur, ut ei ducatus possessionem deferret. Postea traditur [6]) Raynerius a Navarrensium cohortibus, quae Ludovici Ebroicensis auspiciis in Graecia pervagabantur et Athenas adortae erant, captus esse; quamobrem Donato fratri mandatur, ut ope Venetorum eum vinculis eriperet. Epistola deinde quadam Franci-

1) cf. Buchon Rech. hist. Ep. II. T. II. Diplomata Florentina.
2) l. l. dipl. XXXIX. p. 218—220.
3) cf. Raynaldi. l. l. ad a. 1372 n. 20—31.
4) l. l. dipl. XL. p. 220—222.
5) l. l. dipl. XLI—XLIII. p. 223—234.
6) l. l. dipl. XLVI. p. 238—253.

scae, filiae eius et heredis, commemorata[1]), sequitur Raynerii I. testamentum[1]), a. d. XV Kal. Octob. 1394 signatum, de quo quum postea lites ortae essent, quattuor documenta[3]) annorum 1394 et 1395, ad certamina Antonii I. et Toccorum et Venetorum spectantia, produntur.

Antonii I. ducis (1394 — 1435) sequuntur diplomata. Primum supersunt duodecim epistolae[4]), affini eius Nerio quondam Donati, qui in Graecia commorabatur, Florentiam fugiens, scriptae, quae rebus Atheniensibus luminis plurimum afferunt. Quarum litterarum, annis 1413 — 1424 missarum, scriptores esse scimus Laurentium di Palla, Antonium I. ducem, Ubertum quendam, Pallam di Nofri, Nicolaum Machiavellium Atheniensem, Antonium et Ioannem Acciaiolos, Nerii fratres et Cephaloniae Thebarumque episcopos[5]), Carolum Toccum, Cephaloniae comitem Romaeorumque despotam, et Franciscam eius uxorem. Exstat praeterea Margarethae Spinae, Francisci Acciaioli viduae, quae mater fuit Raynerii II. et Antonii II. ducum, charta[6]), qua de eius hereditate agitur et Sycamini (urbis iuxta Euripum sitae) dominum coniugem eius fuisse demonstratur. Porro quum Florentini a. 1422 Thomam Alderottium, civem suum, legatum ad Antonium I. misissent, privilegia antiqua iis confirmata sunt[7]); quem eundem ducem venditionem illam bonorum, a Guilelmo Cancelierio (Καντζηλιέρ) factam Gregorio Chamachi Atheniensi, anno 1432 confirmasse[8]) scimus.

---

1) l. l. dipl. XLVII. p. 253—254.
2) l. l. dipl. XLVIII. p. 254—261.
3) l. l. dipl. XLIX—LII. p. 261—269.
4) l. l. dipl. LIII—LIV; LVI—LVIII; LX—LXVI. p. 269—273; 274—279; 280—286.
5) cf. Litta l. l. tav. V—VI.
6) l. l. dipl. LXX. p. 292—296.
7) l. l. dipl. LXVII—LXVIII. p. 287—290.
8) l. l. dipl. LXIX. p. 290—292.

Renovatum est[1]) hoc diploma a. 1437 a Raynerio II. duce (1435—1453), quem, eiectum ab Antonio II. fratre, anno 1441 Florentiae degisse et Thomae Pittio bona, quae in Florentino agro tenuerant Acciaioli, Athenarum duces, concessisse[2]), ex duobus eiusdem ducis chartis patet. Haec sunt triginta illa Acciaiolorum diplomata, quae optime explicantur tabulis genealogicis, quas ex archiviis Florentinis Buchonius [3]) protulit. Multo etiam pluris aestimandae sunt tabulae illae octo Acciaiolorum genealogicae, quas in Pompei Littae comitis V. Cl. opere praestantissimo[4]), quod „Famiglie celebri italiane" inscribitur, invenimus. Quae tabulae omnium Acciaiolorum res illustrant, quumque summa cum diligentia et optimis ex fontibus compositae sint, summa Littae gratia debetur; quibus e tabulis eas, quae ad Graecas gentis stirpes spectant, in historia mea Atheniensi repetendas curabo. Neque spernendae sunt duae ducum Atheniensium imagines, quas e pinacotheca Florentina eleganter depictas eodem loco reperimus; quibus, Fanellii imagines non omnes fictas esse, luculenter demonstratur.

Iam vero ad reliqua monumenta huius aetatis progredior; in quorum numero habenda est turris illa antiqua quadrangularis[5]), quae in meridionali Propylaeorum latere exstat fragmentumque antiqui ducalis palatii videtur esse. Cuius originem etsi sunt, qui a Rupensi stirpe ducum Atheniensium repetant, tamen, quum illos Thebis praecipue commoratos esse constet, verisimilius Acciaiolis ac

1) l. l. dipl. LXXI. p. 296—297.
2) l. l. dipl. LXXII –LXXIII. p. 298—302.
3) cf. Rech. historiques. Ep. II. T. I. fine.
4) P. Litta famiglie celebri italiane. Firenze. 1819. sq. fol. famigl. LX. Acciaioli. (dispensa 104—105); VIII tavole con rame. (Ducum Atheniensium genealogiam tabula quinta exposuit).
5) cf. La Grèce continentale. p. 127—129. Atlas etc. pl. I.

Antonii I. quidem ducis celebratae tribuatur magnificentiae. E reliquis huius aetatis aedificiis nihil adhuc superest, sed duo saeculi XV[i] scriptores, qui Athenas viserunt, operibus suis nonnulla de iis prodiderunt.

Alter est Cyriacus Pizzicolla, Anconitanus ille [1]), qui quum, ut ipsius verbis utar, Graeciam »visendi orbis gratia« annis 1435—1442 percurrisset, „magnificentissimi Florentini domini (scil. Raynerii II.) et Epireas, Aetoleas, Locreas urbes [2])" adiit. Qui quum sibi proposuisset, antiquas, quotquot exstarent, inscriptiones colligere, commentariis suis et nonnulla de Athenarum, Thebarum, Megarorum topographia prodidit et res Epiroticas perbene illustravit. Cuius inscriptionum collectio, etiamsi de nonnullarum fide dubitatur, vel hodie tanti aestimatur, ut complures ex ea in Boeckhii V. Cl. opus egregium sint receptae.

Alterum opus est Anonymi Viennensis illius [3]), quem e cod. Vindobonensi Ludovicus Rossius in litterarum annalibus Viennensibus ante hos duodecim annos edidit. Cuius liber, inscriptus: »τὰ θέατρα καὶ διδασκαλεῖα τῶν Ἀθηνῶν«, sive ultimis ducibus regnantibus, sive Turcarum tempore scriptus est, antiquorum monumentorum, quae tum Athenis supererant, descriptionem continet; qua

1) Epigrammata reperta per Illyricum a Cyriaco Anconitano (per Liburniam). (s. a. et l.) fol. p. 9 — 17 et 34 — 37. (ed. Romae. 1747.)

2) cf. Commentariorum Cyriaci Anconitani nova fragmenta notis illustrata (ed. Pomp. Compagnonius). Pisauri. 1763. fol. p. 3.

3) Wiener Jahrbücher der Litteratur. Band 90. Wien. 1840. 8. Anzeigeblatt p. 16—42: Anonymi Viennensis descriptio urbis Athenarum nebst den Briefen des Zygomalas und Cabasilas, ein Beitrag zur Topographie von Athen von Dr. L. Ross. cf. Cod. Vindob. n. 188. f. 29 b. — 32 a. in P. Lambecii commentariis de biblioth. Caesarea Vindobonensi. Vindobonae. 1671. fol. T. IV. pg. 205.

etsi scriptor nonnunquam sese antiquitatis ignarissimum praebet, tamen excusare eum liceat, quum fortasse e popularium suorum memoria illa monumenta enumeraverit notaveritque nominibus. Quo libro et villam ducis, fortasse in insula quadam Cephissi prope Calirrhoen fontem sitam, commemorat et magni ducalis palatii cancellariaeque Acciaiolorum mentionem facit. Totum illud fragmentum optime a Rossio explicatum est, qui Iuliani Francisci Gianberti San Gallo[1]) tabulas eleganter pictas, quae monumenta antiqua ante Turcarum tempora exstantia illustrant, ineditas adhuc esse et in bibliotheca Barberina latere doluit.

Sunt hi fontes ac monumenta tertiae illius aetatis; quibus expositis, in calce dissertationis pauca de tribus scriptoribus Venetis addam, qui, quum omnes tres Atheniensis ducatus periodos attingant, reliquorum fontium supplementum possunt existimari. Qui scriptores, primum integre a L. Muratorio in collectione „rerum Italicarum scriptorum" vulgati, sunt Dandulus, Sanutus et Naugerius; illos enim, qui, ut Blondus et M. Antonius ille Coccius Sabellicus, minus accurate copioseve scripserunt, hoc loco praetereundos eos duco.

Andreas Dandulus[2]), reipublicae Venetae dux (1343—1354), optimis, ut suspicari iam licet, fontibus nixus, decem libris Latino ore res Venetas ad annum usque 1342 descripsit; cuius operis gravissimi liber decimus, annos 1172 — 1342 complectens, huc referendus est. Quo quum multa de crucesignatorum expeditione illa quarta exposita sunt, tum charta continetur celeberrima[3]), qua Byzantini imperii divisio, anno 1204 facta, definitur; qua charta

1) cf. l. l. p. 17.
2) Scriptores rerum Italicarum ed. L. Muratorius. Mediolani. T. XII. 1728. fol. p. 1—416.
3) l. l. p. 328 sq.

„portum Athenarum cum pertinentia Megaron" Francogallicis militibus contigisse intelligimus. Nihilominus, quum Veneti Athenis potiri studuissent [1]), Ottonem Rupensem („dominus de la Roze") iis restitisse Dandulus auctor est; qui „non sine sanguinis effusione", quominus Athenas in suam redigerent potestatem, eos impedivit. Idem Sabellicus [2]) dicit, quamobrem mirandum est, quod Leo Matina in Lario Venetiarum ducali eas a Venetis subactas esse putavit [3]). Alia nulla Athenarum mentio apud Dandulum fit; sed qui eum ad annum usque 1388 continuavit, Raphaynus Caresinus [4]), magnus reipublicae Venetae cancellarius (1369—1390), Argos et Naupliam anno 1388 in Venetorum ditionem pervenisse ait, quo loco chartam illam, qua Maria Enghinensis, ultima urbium illarum heres, Venetis eas obtulit [5]), accurate ex archivio descriptam retulit.

Post Dandulum Marinus Sanutus, Leonardi filius [6]), laudandus est, qui Venetiis patricio genere natus, res patriae vitasque ducum Venetorum ab a. 331 ad a. 1493 Italica lingua descripsit, iisdem fere fontibus usus, ex quibus Dandulus et post Sanutum Naugerius opera sua hauserunt. Qui et bellum de Euboea a Catelanis cum Venetis gestum breviter commemorat [7]) et Venetos Athenis et Capitaneum et „Potestatem" (podestà) habuisse affirmat [8]); praeterea duobus locis, quomodo Argis et Nauplia anno 1388 Vene-

---

1) l. l. lib. X. cap. IV. §. 6. p. 335

2) Decad. I. lib. VIII. p. 138. (ed. Basileae. 1661. 4.)

3) Leo Matina Lararium ducale Venetiarum. Venetiis. 1659. fol. p. 129.

4) Muratori. l. l. t. XII. p. 417—523.

5 l. l. p. 482—483.

6) Muratori. l. l. T. XXII. 1733. p. 399—1252: Marino Sanudo vite de' duchi Veneti.

7) l. l. p. 598.

8) l. l. p. 617.

tis sint venditae [1]), exponit. Bodonitzae quoque marchionis, qui e nobili Georgiorum gente Veneta originem sumpsit, bis mentionem facit, quem a Turcis a. 1413 possessionibus suis depulsum [2]), a Venetis autem a. 1416 restitutum esse dicit. Eosdem Georgios in Euboea Carystum, tamquam feudum Venetum, tenuisse [3]) affirmat, qua de gente in appendice secunda nonnulla exponam.

Tertius denique scriptor Venetus est Andreas Naugerius (Navagero) [4]), qui exeunte saeculo XV° vixit, quemque nimis neglectum et Sanuto immerito multo posthabitum esse scimus ab iis, qui de rebus Venetis disputarunt. Qui quum Italico sermone res Venetas ad a. 1498 descripsisset, et bellum ab Alfonso Fadrique Aragonensi, Catelanorum duce Athenarumque ducatus vicario, cum Venetis de Euboea anno 1317 gestum [5]) accuratissime exposuit et Argorum fata [6]) summa cum diligentia depinxit. Porro post Raynerii I. ducis obitum Athenas a Venetis receptas et Antonium Contarenum, qui capitanei munere fungeretur, anno 1395 eo missum esse [7]) ait; qua in re cum Chalcocondyla consentit. Nec non de Bodonitzae marchione, Iacobo Georgio, expulso et restituto, eadem retulit [8]), quae Sanutus commemoravit; contra de Athenis a Mohammeto II. captis neque Naugerius neque Sanutus quicquam memoriae prodidit.

Haec fere sunt, quae de fontibus historiae ducatus Atheniensis disputare mihi proposueram; quibus fontibus usus, Athenieusium ducum res lingua vernacula describere conabor.

---

1) l. l. p. 760 et 777.
2) l. l. p. 890 et 911.
3) l. l. p. 1043.
4) Muratori l. l. T. XXIII. 1733. p. 919—1216: Andrea Navagero storia Veneta.
5) l. l. p. 1022.
6) l. l. p. 1072.
7) l. l. p. 1075. cf. Chalcocond. lib. IV. p. 213 sq.
8) l. l. p. 1080.

Multo certnspicere mihi licuisset; quae quum
mssae in Cod. V, praematurum obitum excerpta illa,
quibus de Ghisiis aecunque ex libris impressis haurire
potui. Attamen empli causa duo tantum Bodonitzae
marchiones innotuatione, ex fontibus ipsis contexui.

s,

cang. T. I. p. 98. Piacenza p. 491).

t Sciathi, n. Laurentio Tiepolo, duci
itta disp. 34. t. I.).
in »Ve Villeharduinorum (Dand. l. X. c. 8, 6.) et
eli. (Nota cod. Ambros. ad Dand. p. 399.)

obus »el Cocho«,
Georgius I., 1292 (Dand. p. 483.),
landritzam uxo 1279 (Dand. l. X. c. 9, 28.),
(† 1288) filiae, (Cod. Ambros. l. l.),
Luria a. 1296 c itta. l. l.)
p. 364, 366, 37 i, Brebiris comitis Dalmatini. (Litta. l. l.)
minator terreni
iure, in diplom. nundus (Bajamonte),
Estesan. ad Dan Coronis, coniurat anno 1310; damnatus et,
ep. Veneta occupatis, anno 1328 mortuus est.
Marinus, ni lib. IX. p. 339. cf. Cicogna Inscr. Ven.
cum fratre laudatus it filia Marci Quirini, qui cum genero conspi-
a. 1328. (Cicogna. tus est. (Litta l. l.)
T. V. p. 190.)

i feudis eius potiti sunt, a. 1390. (Coronello

# APPENDICES.

Multo certo accuratius hae tabulae essent institutae, si Barbari genealogias Venetas inspicere mihi licuisset; quae quum mssae in Cod. Vindobonensi quodam lateant, et propter Grauerti V. Cl., patri meo amicissimi, praematurum obitum excerpta illa, quibus de Ghisiis et Georgiis agitur, non ad manus mihi pervenerint, nihil dare possum, nisi quaecunque ex libris impressis haurire potui. Attamen quum multo sint ampliora et copiosiora, quam quae Buchonius novit, cui exempli causa duo tantum Bodonitzae marchiones innotuerant, hoc loco tabulas illas adiicere conatus sum, quae, qua fieri potuit accuratione, ex fontibus ipsis contexui.

## Appendix prima.

*Gens Ghisiorum.* (Gezi di Soria.)

Marcus.

Andreas, Ieremias,

anno 1207 Teno, Mycono, Cea, Scyro, Scopelo, Sciatho potiti sunt.

(Dandolo lib. X. c. 4, 5. Rhamnus. lib. VI. p. 275. Ducang. T. I. p. 98. Piacenza p. 491).

Bartholomaeus I., Teni etc. dominus; in »Venetorum et Graecorum pactis« a. 1265 commemoratus (Navag. p. 1001. A.); dictus »le veillart« a. 1296. (Livre de Conqu. p. 370.)

Georgius I., Calamatae castellanus, Chalandritzam uxoris, Guidonis Tremoliensis (☨ 1288) filiae, iure tenet, a Rogerio de Luria a. 1296 captus et liberatus. (L. d. C. p. 364, 366, 370, 375.) Dicitur fuisse »dominator terreni Negropontis«, fortasse matris iure, in diplom. d. d. 24/6 1310. (Nota cod. Estesan. ad Dand. p. 486.)

Nicolaus, comestabulus Achaiae, dictus Magros; forsitan idem, qui Magnus Comes appellatur et prope Calamatam magnas terras tenuisse fertur; mortuus ante annum 1342. (Buchon Ep. I. T. II. p. 398. Dipl. Florent. n. XV.)

Marinus, cum fratre laudatus a. 1328. (Cicogna. T. V. p. 190.)

Bartholomaeus II., magnus Achaiae comestabulus, in cuius arce Thebana repertum est ms. Libri conquistûs (L. d. C. p. 1.); captus a Graecis a. 1320 (L. d. C. p. 477.); cum fratre a. 1328 partem Ceae insulae Rogerio Premarino concedit (Cicogna. T. V. p. 190.); versatur Patris urbe 28/2 1331 (Ducang. T. II. p. 199.); vassallus Achaiae et »dominator Nigropontis« a. 1344 dicitur in declar. iur. Iacobi Maioricensis. (Ducang. T. II. p. 377.)

Georgius II., ultimus Teni etc. dominus, quo mortuo, Respubl. Veneta et Premarini feudis eius potiti sunt, a. 1390. (Coronello Isolar. p. 231.)

Agnes, heres Scopeli et Sciathi, n. Laurentio Tiepolo, duci Veneto (1268—1274). (Litta disp. 34. t. I.).

Dicitur feudatarius Villeharduinorum (Dand. l. X. c. 8, 6.) et comes Pethrae i. e. Scopeli. (Nota cod. Ambros. ad Dand. p. 399.)

Iacobus »el Cocho«, Scopulonatus dictus anno 1292 (Dand. p. 483.), adoritur Dyrrhachium a. 1279 (Dand. l. X. c. 9, 28.), Genuam legatus a. 1283 (Cod. Ambros. l. l.), Zarae comes a. 1290. (Litta. l. l.) ux. filia Stephani Subichii, Brebiris comitis Dalmatini. (Litta. l. l.)

Boemundus (Bajamonte), castellanus Modonis et Coronis, coniurat anno 1310; damnatus et, insulis Graecis eius a Rep. Veneta occupatis, anno 1328 mortuus est. Navag. p. 1019; Villani lib. IX. p. 339. cf. Cicogna Inscr. Ven. T. III. p. 37.) Uxor fuit filia Marci Quirini, qui cum genero conspiravit et a. 1310 trucidatus est. (Litta l. l.)

# Appendix secunda.

## A. Comites Salonae sive Soulae.

Thomas I. de Stromoncurto, subscribit resignationi Ravennicensi $^2/_5$ 1210. (Bullar. ampliss. collectio. Romae. 1740. fol. T. III. p. 111 sq. n. XLI.).

|

Thomas II., Guidonis I. socius in bello contra Guilelmum II. parato, a. 1258 et 1259. (L. d. C. p. 109; *Βιβλ. τ. Κ.* v. 1967 et 2306).

|

Thomas III., Guidonis II. vassallus, comitatur eum in Achaiam a. 1298 (L. d. C. p. 391); recipit a. 1301 Liberatum fr. Minoritam, quem tamen, ut postea expellat, cogitur. (Wadding. T II. p. 647; T. III. p. 2—8.); citatur in diplomatibus Montensibus annis 1292 et 1305. (St. Génois p. 330 sq. coté j. 23, 51, 52.) Quo mortuo ante a. 1310, vidua eius nubit a. 1310

Rogerio Des-Laur, a Catelanis Athenis praefecto (1310—1313), cui Soulae comitatus confirmatur. (Muntaner. c. 240.)

|

Petrus, Soulae dominus, cum reliquis Catelanorum proceribus, Benedicti papae XII. iussu excommunicatur $^{29}/_{12}$ 1335 (Ducg. T. II. p. 205). Post Petri obitum Soulae comitatu et Zeitune donatus est:

Ludovicus Fadrique Aragonensis, Alfonsi Fadrique, qui, Friderici Siculi filius nothus, Athenas administravit, et Marullae Veronensis filius, summae in ducatu Atheniensi auctoritatis (Zurita ad a. 1382. lib. X. c. 30. fol. 377 a.); quo mortuo a. 1386 (Zurita lib. X. c. 38. fol. 387 a), uxor eius, Helena Cantacuzena, Catelanique eius asseclae a Raynerio I. Athenis pulsi sunt. Helena, vidua eius, quae a. 1391 subdita principi Achaiae dicitur (Guichenon T. II. p. 127), postea a Baiazito I. a. 1397 comitatu exuta est (Chalcocond. lib. II. p. 67—69); Baiazito vero prope Ancyram capto, Theodorus Palaeologus, affinis eius, Salona potitus est, quam una cum Zeitune ordini S. Ioannis Hierosolymitani a. 1404 concessit; id quod moriens Helena confirmavit. (Bosio lib. III. T. II. p. 117; Baudoin histoire des chevaliers de l'Ordre de St. Jean de Hiérus. Paris. 1659. fol. lib. IV. c. 1; Excerpta e Libr. de' Patti ap. Hammer. T. II. p. 610).

|

Maria Fadrique, nupta filio Simeonis (Siniscian), Serviae et Vlachiae principis. (Zurita lib. X. c. 38. fol. 387 a.)

Tandem a Turcis, nescio quo anno, comitatus occupatus et ordini S. Ioannis ereptus est.

da.

Soulae.

0. (Bullar. ampliss. collectio. Romae. 1740. fol. T. III. p. 111 sq.

et 1259. (L. d. C. p. 109; *Βιβλ. τ. Κ.* v. 1967 et 2306).

C. p. 391); recipit a. 1301 Liberatum fr. Minoritam, quem tamen,
tibus Montensibus annis 1292 et 1305. (St. Génois p. 330 sq. coté

comitatus confirmatur. (Muntaner. c. 240.)

;i papae XII. iussu excommunicatur 29/12 1335 (Ducg. T. II. p. 205).

filius nothus, Athenas administravit, et Marullae Veronensis filius,
); quo mortuo a. 1386 (Zurita lib. X. c. 38. fol. 387 a.), uxor
unt. Helena, vidua eius, quae a. 1391 subdita principi Achaiae di-
lcocond. lib. II. p. 67 — 69); Baiazito vero prope Ancyram capto,
ordini S. Ioannis Hierosolymitani a. 1404 concessit; id
aliers de l'Ordre de St. Jean de Hiérus. Paris. 1659. fol. lib. IV.

is. (Zurita lib. X. c. 38. fol. 387 a.)
tus est.

Guido Paarchio est constitutus et a Bonifacio Thessalonicensi Achaiae leus p. 466). Fuit in »parium« principatus Achaici numero, quoet (Elias Cairels v. 38. ap. Buch. hist. etc. p. 449) et a. 1210 Bullar. ampl. collect. T. III. n. XLI), quo facto, Henricus impe

Ubertinu Mabilia

biliae bona Parmens Estesano a. 1228 († 1233), testatur a. 1264. cum Guidone I. a. 12 fortasse gente Flaminga oriundo et Car- Guilelmum II. contr 1277 concioni cuidam Achaicae adest. (L. v. 3287.)

ninus, fortassis Bodonitzae marchio; adiu- ; (L. d. C. p. 408—410), Corinthi a. 1303 nsi a. 1305 (St. Génois j. 52), Carditzae e etc. p. 215).

done II. constitutus. (L. d. C. p. 410).

am administrat.

lonatus (Zurita lib. X. c. 30. fol. 377 b.); II. p. 89. Ms. Vatic.; Raynaldi ad a. 1372. l'Arch. p. 183 — 184.); Achaiae principis

er. T. II. p. 609); a Turcis a. 1413 expul- . 911; Navag. l. l.)

. libro della famiglia d'Acciaioli, ap. Buch.

Ioannes, ultimus s a. 1470. (Rizzardo la presa di Negroponte. 1470 a Turcis exuitup. 14.)
en 1470. Cod. Reg. n

## B. Marchiones Bodonitzae.

**Guido Pallavicinius**, Guilelmi († 1217) filius, dictus »**Marchesopolo**«, princeps Bodonitzae marchio est constitutus et a Bonifacio Thessalonicensi Achaiae principi subditus. (Litta XLI. disp. 77. tav. 14; {L. d. C. p. 102; *Βιβλ. τ. Κ.* v. 227; Dorotheus p. 466). Fuit in »parium« principatus Achaici numero, quorum privilegia participavit. (Assis. Titt. 43 et 94). Anno 1209 cum Blandrate seditionem movet (Elias Cairels v. 38. ap. Buch. hist. etc. p. 449) et a. 1210 Zeitune potitur (Innoc. III. epp. lib. XIII, 136. T. II. p. 477), sed Ravennicae »renunciat« (Bullar. ampl. collect. T. III. n. XLI), quo facto, Henricus imperator eum Bodonitzae adit (Henr. Valent. p. 294); testatur $^{2}/_{6}$ 1237. (Litta l. l.)

**Ubertinus**, marchio (Bodonitzae), sororis Mabiliae bona Parmensia a. 1264 accipit (Litta. l. l.); rebellat cum Guidone I. a. 1258 (*B. τ. K.* v. 1869), adiuvat a. 1264 Guilelmum II. contra Graecos. (L. d. C. p. 110; *B. τ. K.* v. 3287.)

**Isabella**, fratris heres, nubit Franco alicui in Romaniae partibus versanti (Litta. l. l.), fortasse gente Flaminga oriundo et Carditzae domino; qui, marchio Bodonitzae, a. 1277 concioni cuidam Achaicae adest. (L. d. C. p. 260; *Βιβλ. τ. K.* v. 6580.)

**Antonius Flamingus**, Carditzae dominus, fortassis Bodonitzae marchio; adiuvat a. 1301 Guidonem II. in bellis Thessalicis (L. d. C. p. 408—410), Corinthi a. 1303 adest (ib. p. 465), citatur in diplom. Montensi a. 1305 (St. Génois j. 52), Carditzae ecclesiam a. 1311 renovat. (Buchon la Grèce etc. p. 215).

**Ioannes**, Neopatriae baiulus a. 1301 a Guidone II. constitutus. (L. d. C. p. 410).

**Mabilia** n. Azzoni Estesano a. 1228 († 1233), testatur a. 1264.

Interciderunt nomina aliquot, donec **gens Georgiorum** (Zorzi) Veneta Bodonitzam administrat.

**Franciscus Georgius**, Venetis subditus et Carysto, feudo Euboeae, donatus (Zurita lib. X. c. 30. fol. 377 b.); Gregorii papae XI. monitu a. 1372 Thebas se confert (Epp. Gregorii XI. secret. T. II. p. 89. Ms. Vatic.; Raynaldi ad a. 1372. n. 29.; Bosio lib. III. T. II. p 73; Besoldi hist. Cpolit. p. 522; Sauger hist. de l'Arch. p. 183 — 184.); Achaiae principis vassallus a. 1391 dictus. (Guichenon. T. II. p. 127.)

**Iacobus**, citatus in »Pactis« Venetorum et Solimanis Turcae a. 1408 (Libr. de' Patti. Hammer. T. II. p. 609); a Turcis a. 1413 expulsus (Sanut. p. 890; Navag. p. 1080.); a Venetis a. 1416 $^{26}/_{7}$ restitutus. (Sanut. p. 911; Navag. l. l.)

**Nicolaus**, filiam Antonii I. adoptivam in matrimonium ducit (Chalcoc. lib. IV. p. 215; Reg. libro della famiglia d'Acciaioli, ap. Buch. Rech. hist. Ep. II. T. I. p. 178); moritur a. 1436. (Sanut. p. 1043.)

**Otto**, a Venetis 1436 $^{1}/_{9}$ Carysto infeudatus. (Sanut. p. 1043.)

**Ioannes**, ultimus marchio, Imbri »rector« Venetus, Bodonitza amissa, Carysto a. 1470 a Turcis exuitur et trucidatur. (Relation du siége et de la prise de Negrepont en 1470. Cod. Reg. n. $7133_{a}$. fol. 259. r.; Paris les mss. franç. T. V. p. 319.)

**Raynerius** citatus a. 1470. (Rizzardo la presa di Negroponte. Venezia. 1844. 8. p. 14.)

# VITA.

Natus sum ego Carolus Hermannus Fridericus Ioannes Hopf Hammone anno MDCCCXXXII a. d. XI. Kal. Martias, patre amatissimo Ioanne Iacobo, in gymnasio, quod Hammone floret, illustri superiorum ordinum praeceptore, matre optima Friderica Theodora e gente Opderbeck, quibus adhuc viventibus gaudeo. A teneris usque ad octavum annum domi praecipue educatus primisque litterarum elementis imbutus, Hammonense gymnasium adii. Ibi per novem annos iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, a magistris optimis dilectissimisque institutus sum, quorum doctrinae, humanitati, benevolentiae quantum debeam, nunquam immemor ero.

Anno MDCCCXLIX, mense Aprili, maturitatis nactus testimonium Bonnam profectus sum, ut in universitate alma Fridericia Guilelmia Rhenana historiae studiis me darem. In civium academicorum numerum receptus sum ab Ioanne Guilelmo Loebell, Rectore Magnifico, et philosophorum ordini ab Iulio Pluecker, Decano maxime Spectabili, adscriptus sum; quo in ordine tres annos permansi.

Interfui autem scholis Ill. Abel, Aschbach, Bernays, Bernd, Brandis, Dahlmann, Delius, Diez, Lersch, quem praematura morte litteris ereptum dolemus omnes, Loebell, Monnard, Overbeck, Pluecker, Ritter, Schaaffhausen, Schaarschmidt, Simrock, Treviranus.

Quibus omnibus viris illustrissimis doctissimisque, qui optime de me meriti sunt, gratias ago quam maximas.

# THEMATA.

1. *Quae de Alexandrina bibliotheca per Omarum eversa ab Abulfaragio et Abdollatifo falso narrantur, a Persica quadam bibliotheca per Saadum incensa in eam translata sunt.*

2. *Duo fuere Ioannes Philoponi.*

3. *Petrarcae carmen:*
   *„Spirto gentil che quelle membra reggi etc."*
   *(Canzone II. — 11. ed. Marsand.)*
   *non ad Nicolaum Laurentii, sed ad Stephanum de Columna referendum est.*

4. *Gualteri a Vogelweida carmini:*
   *„Wir suln den kôchen râten etc."*
   *(ed. Lachm. p. 17. v. 11 sq.)*
   *eique, quod in fine editionis Lachmannianae legitur:*
   *„Swelch man diu jâr hât âne muot etc."*
   *(ibid. p. 140.)*
   *ex historia Franco-Byzantina lux affundenda est.*

5. *Errant, qui Aethiopes ad magnam et ingenii et vitae publicae perfectionem ascendere posse existiment.*

6. *Quae de Aenea fertur fabula, inde a Troia Gergithum, Gergitho Cymas Aeoliae, Cymis Cumas Campaniae, hinc denique Romam propagata est.*

7. *Subditicium est diploma anni 962, in Luenigii Codice Italiae diplomatico (T. I. p. 1341) servatum, quo Otto I. imperator Gualterum Gonzagam Mantuae „vicarium imperialem" instituisse fertur.*

8. *Rerum Scandinaviae historiae non ultra octavum p. Chr. n. saeculum certa fides est.*

9. *Aliso castra Romana eodem loco, quo medio aevo Nienbruegge, hodie Hammo oppidum, sita erant.*

10. *Non reiiciendum est, quod Ioannes Baptista Vicus omnes rei publicae formas ab „Aristocratia" repetendas esse censet.*

11. *Paulus Diaconus popularibus Longobardorum fabulis praecipuo fonte usus est.*

12. *Widukindi Corbeiensis de Thuringorum et Saxonum certamine narratio (Lib. I. c. 6—7.) Britannicae originis est.*